Lampon Spartanus Pauſaniam regem, ut Mardonii A cadaver in crucem tolleret, hortabatur, & talionem reponeret Perſis, qui Leonidæ Lacedæmoniorum regis patrui ſui ad Thermopylas occiſi corpus ſtipiti ſuffixiſſent. At Pauſanias non ſolùm dicto audiens non fuit, ſed & Lamponem ideò graviter increpavit. *Herod. lib.9. & Pauſanias in Lacon.*

Tib. Graccho Optimatum conſpiratione, duce Naſica, cæſo atrociter, & fœdè inſultaverunt cadaveri. Neque enim oranti fratri Cajo ut tollere liceret corpus, & funerare nocte, permiſerunt: verùm id cum aliis cadaveribus projecerunt in amnem. Neque hactenus tantùm progreſſi ſunt: ſed amicis quoque ejus partim inauditis aqua, & igni interdixerunt, partim quos potuerunt corripere trucidaverunt: inter quos orator Diophanes periit. Cajum quendam Billium caveæ incluſum cum viperis, & draconibus ad eum modum necavere. *Plut. in Tiberio.*

In ſeditione agraria Caii Gracchi, ab Opimio coſ. cæſi cadavera eorum, qui trucidati fuerunt tria millia, in amnem projecta, bona eorum ſub haſta vendita. Interdictus inſuper conjugibus eorum luctus, Licinia Caii etiam dote ſpoliata. B *Plut. in Gajo.*

Tiberius Cæsar L. Scribonium Libonem patricium adoleſcentem, etiam mortuum tentatarum rerum novarum reum peregit, ejuſque pecuniam accuſatoribus dedit. *Dion. lib.57.*

Patrophilus Neronis libertus, cùm Galba Neronem imperio vitaque ſimul, quamquam abſens, privaſſet, quo tempore ipſe Galba à prætorianis interemptus fuit, caput ejus centum aureis nummis redemit, ut illud eo proiiceret, ubi ſe Nero interemerat. *Fulg.l.9 cap.10. ex Suetonio.*

Galli olim è prælio decedentes, cervicibus equorum, hoſtium capita ſuſpendebant, eaque domum delata, poſtibus affigebant. Poſidonius ſcriptum reliquit, cùm hæc primùm multis ſpectaret in locis, ob rerum inſolentiam obriguiſſe, poſtremò ex aſſuetudine, æquiore tuliſſe animo. Illuſtrium autem virorum capita condientes odoribus peregrinis oſtentabant: nec tantidem auri redimi dignabantur. *Strabo libro 4. Geographiæ.*

Galli L. Poſthumii Coſſ. Rom. cum univerſo exercitu ruina arborum ſylveſtrium interfecti, calvam auro cælatam, ſolennibus ſacris loco populi, adhibuere. *Sabell. lib.3. Enneadis 5. ex Jovio.* C

Rex Mithridates Aquilio duci Rom. capto aurum in os infudit. *Plin. l.33. cap.3.*

Surenas Parthorum dux, profligato M. Craſſo, cùm eum ſpecie colloquii perfidè cepiſſet, & equo per vim abducere volens, reluctantem occidiſſet: caput, & dextram ejus ad Hyrodem regem miſit in Armeniam. Hyrodes cum Artuaſde Armenio pace compoſita, ejuſque ſorore filio ſuo Pacoro deſponſa, agitabat epulas, & convivia. Ubi allatum caput Craſſi ad fores fuit, nondum ſublatæ erant menſæ, & tragœdiarum auctor Jaſon cognomine Trallianus recitabat ex Bacchis Euripideis Agaven. Qui cùm placeret, ingrediens convivium Sillaces, poſtquam regem adoravit, projecit in medium caput Craſſi. Ibi Parthis plauſum cum clamore gratulatione tollentibus, miniſtri Sillacem regis juſſu invitaverunt ad accubandum. Jaſon autem tradita uni de mimis Penthæi perſona corripuit caput Craſſi, corporiſque fanatica jactatione carmina illa cum furore, & cantu pronunciavit:

Ex monte ferimus nos recens cæſum
Cervum bonam prædam domum.

D Atque hæc omnes oblectaverunt. Dum verò ſequentes alterni verſus ad chorum decantantur:

Cho. *Quis occidit?*
Ag. *Meum decus eſt.*

Ibi exiliens Pomaxæthres, qui tunc cœnabat, apprehendit caput, quaſi ſibi iſta dicere, quàm illi potiùs conveniret. Rex lætus donis eum de more auxit, Jaſoni largitus eſt talentum. In hujuſcemodi ajunt exodium Craſſi expeditionem quaſi tragœdiam terminaſſe. *Plut. in Craſſo.* In caput interfecti aurum liquaverunt, hiſque irriſerunt verbis: Aurum ſitiſti, Craſſe, aurum ad ſaturitatem bibe. *L. Florus, & Sex. Ruffus.*

Apulejus Saturninus Trib. plebis, cùm Gracchorum leges Agrarias vellet aſſerere, à C. Mario, & L. Valerio Coſſ. in Capitolio obſeſſus, deditionem tandem facere coactus eſt. Captus autem fuſtibus, & ſaxis coopertus, ibidem expiravit. Mortui caput C. Rabirius ſenator per convivia in ludibrium circumtulit. *Sueton. & Plin. de Illuſt. viris.*

C. Marius caput M. Antonii clariſſimi oratoris abſciſſum, ſuis manibus inter epulas per ſummam animi, ac verborum E inſolentiam aliquandiu tenuit, clariſſimique & civis, & oratoris ſanguine contaminari menſæ ſacra paſſus. Atque etiam P. Annium, qui id attulerat, in ſinum ſuum, recentis cædis veſtigiis aſperſum recepit. *Val.l.9. cap.2.*

L. Sylla C. Marii, cujus etſi poſteà hoſtis, quæſtor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum ſparſit. *Val.9. cap.2.*

Bello civili Marius junior Præneſte obſeſſus, cùm Prænestini urbem dedidiſsent, fugam cuniculo molitus, ubi omnia obſepta ad ſalutem vidit, manum ſibi intulit. Sunt, qui vivum in hoſtium poteſtatem veniſse dicant, atque à Lucretio interfectum. Caput ejus Romam miſsum, in Roſtris ſuſpendit L. Sylla: oportere dictitans juvenem priùs remo, quàm gubernaculo admoveri, intempeſtivum ejus conſulatum irridens. *Sabell. lib.1. Ennead.6.* abſciſsa proſcriptorum capita, modò non vultum, ac ſpiritum retinentia, in conſpectum ſuum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet. *Plutarchus.*

M. Antonius Triumvir, proſcriptorum capita etiam inter epulas ſpectabat, eaque inſpectione nefaria oblectabatur. F *Xiphilinus.* Cùm ad Eundem Ceſetii Rufi ſenatoris caput allatum eſset, averſantibus id cæteris, propiùs admoveri juſſit, ac diù, diligenterque conſideravit. Cunctis deinde expectantibus quidnam eſset dicturus. Hunc ego (inquit) notum non habui. *Val. Max. l.9. cap.5.* Ciceronis interfecti caput, & dexteram, qua Philippicas ſcripſerat, detruncari juſſit: quæ allata exultans ſpectavit, cachinnanſque crebrò præ gaudio. Ubi ſatiatus fuit, mandavit ut pro Roſtris in foro figerentur. *Plut. in Antonio, & Cicerone.* Ejus uxor & Fulvia capiti Ciceronis allato contumelioſiſſimè maledixit: in faciem ſpuit, ſupra genua collocavit, ex eoque ore aperto linguam extraxit, atque acu multis locis hinc inde transfixit. *Appian. lib.4. Bell. civil. & Suidas.*

Galba Imp. jugulatus eſt ad lacum Curtii, ac relictus, ita uti erat, donec gregarius Miles à frumentatione rediens, abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitio arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice, ad Othonem Cæſarem detulit. Ille calonibus donavit: qui haſta ſuffixum, non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, acclamantes identidem, Galba cupidè frueris ætate tua. Maximè irritati ad talem jocorum petulantiam, quod G ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam ſuam, ut adhuc floridam, & vegetam, reſpondiſse eum ex Homero ἔτι μένος ἔμπεδόν ἐστιν: adhuc mihi robur eſt firmum. Ab his Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemptum, ex loco, ubi juſsu Galbæ animadverſum in patronum fuerat, abjecit. Serò tandem diſpenſator Argius & hoc, & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ ſepulturæ dedit. *Suetonius, & Dion.*

Vitellius ſuperato Othone, ut Bebriacenſes campos, in quibus pugnatum eſt, adiit, abhorrentes quoſdam cadaverum tabem, deteſtabili voce confirmare auſus eſt: optimè olere occiſum hoſtem, & melius civem: Nec eò ſeriùs ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalàm hauſit, paſſimque diviſit, pari vanitate, atque inſolentia. Lapidem memoriæ Othonis inſcriptum intuens, dignum eo Mauſoleo ait: pugionemque, quo ſe is occiderat, in Agrippinenſem Coloniam miſit, Marti dedicandum. *Suetonius.*

Severus Imperator, tanquam immemor eſset, ſe à Juliano Imperatore olim deſciviſse, Clodium Albinum ob ſimilem culpam, poſteàquam victum prælio interemit, caput Ro- H mam miſit, nudum ejus corpus pro palatio proiici juſſit. Ad quem cùm equus accedere formidaret, calcaribus adactum coegit corpus ipſum calcare. Tandem fœtore compulſus, juſſit in flumen proiici. Alii equo refugienti conculcandum cadaver datum aſserunt. *Fulg. l.9. c.3. & Volat. l.23. Anthrop. ex Spartiano, & Herodiano.*

Stiliconem Vandalum, ducem clariſs. ſocerum ſuum, Honorius Imp. interficiendum curaverat. Militum in ejus cadaver ſævitiam *Claudianus in 2. Ruffinum* graphicè deſcribit:

Unus per medios audendi pronior enſe
Proſilit exerto, dictiſque, & vulnere torvus
Appetit: Huc Stilico, quem jactas pellere dextera
Te ferit, hoc abſens invadis viſcera ferro.
Sic fatus, meritoque lætus tranſverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauſerit, & feſſi pœnam liberaverit orbis.
Mox omnes fodiunt haſtis, artuſque trementes
Dilaniant, uno tot corpore pila tepeſcunt.
A *Et non infecto puduit mucrone reverti.*
Hi vultus avidos, & adhuc ſpirantia vellunt
Lumina, truncatos alii rapuere lacertos.
Amputat ille pedes: humerum quatit ille, ſolutis
Nexibus: hic fracti reſerat curvamina dorſi,
Hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anheli
Pulmonis latebras: ſpacium non invenit ira,
Nec locus eſt odiis: conſumpto funere vix tum
Deſeritur, ſparſumque cadit per tela cadaver.
Nec minus aſſiduis certant elidere ſaxis
Prodigiale caput, quod jam de cuſpide ſumma
Nutabat, digna rediens ad mœnia pompa.
Dextera quinetiam ludo conceſſa vagatur,
Æra petens, pœnaſque animi perſolvit avari
Terribili lucro, vivoſque imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Cures princeps Pacinacorum Stoslaum Moſcorum ducem inſidiis exceptum interfecit, & ex craneo ejus poculum fieri curavit, cui hæc verba inſcripta fuere: Dum aliena ſequitur, perdit ſua: vel Quærendo aliena, propria amiſit. *A.C.971.* B *H. Henninges in Geneal. Moſcorum.*

Artabasdo Conſtantinopolitani favebant plerique contra Conſtantinum Copronymum: qui urbe capta occiſi ſunt, & inter eos quoque Particius Baccagius, vir nobiliſſimus: cujus uxorem poſt multos annos coegit Conſtantinus, ex eo loco ubi erat ſepultus, viri effodere oſſa, & in mare deiicere, eo loco damnati proiiciuntur. *Cuſp.*

Isaacius Angelus Byzantinus Imp. Alexio Brana regnum affectante ad Conſtantinopolim cæſo, convivio inſtructo omnes aulæ portas aperuit, ut victor à quibuſvis conſpiceretur: & cùm manus epulis admoturus eſſet, ferculum primùm, Branæ caput inferri juſſit, quod humi abjectum, huc atque illiuc agitabatur, & jaculis traiiciebatur. Mox conjugi Branæ in palatio incluſæ oblatum eſt. Quæ rogata, num ſciret cujus eſſet? Novi reſpondit, & me miſeram judico. *Nicet. l.1.*

Alboinus Longobardorum rex, cùm Cunimundum Gepidarum regem cæſis 60. millibus hominum occidiſſet: ex teſta capitis ejus poculum fecit, cujus occaſione deinceps ab uxore Roſimunda, Cunimundi filia, interfectus eſt. *Sigeb. in Chron.*

Quem primum virum ceperit Scytha, ejus ſanguinem po- C tat: quoſcunque in prælio interemerit, eorum capita regi offert, nam capite allato, fit prædæ, quantumcunque ceperit, particeps, alioqui expers. Caput hoc modo præcidit: in orbem illud amputat circa aures, verticeque ſumpto excutit, deinde pellem detrahit: & ubi ſicut bovis corium manibus mollivit, tanquam mantile poſſidet, eaque & habenis equi ſui appenſa gloriatur: qualia mantilia ut quiſque plurima habet, ita vir judicatur præſtantiſſimus. Sunt quoque multi, qui coria hæc humana tanquam brutorum conſuant, quibus pro amiculis induantur. Multi etiam cæſorum hoſtium manus dextras cum unguibus excoriant: eiſque opercula pharetrarum integunt: Eſt autem inter omnia coria humanum ferè, & craſſum maximè, & candore ſplendidum. Multi totos homines excoriatos, & ſuper ligna extentos, ſupra equos circumferunt. Non tamen de omnium, ſed de inimiciſſimorum capitibus hoc faciunt, ut illud quiſque infra ſupercilia reciſum prorſus excutiat: & crudo tantùm bovis corio, ſi pauper ſit: ſin dives, non modo exterius inducat bovino corio, verùm etiam interius inauret, & ſic uterque pro poculo utatur. Idem agunt de familiaribus ſi inter eos extiterint diſcor- D diæ, dum apud regem victoria ſunt potiti. Hæc capita hoſpitibus oſtentant. *Hieron. l.4.*

Nicephorus Imp. Conſtantinopolitanus, Bulgarorum rege Chrumno, ſive Crumo, magna ſtrage victo, pacem petenti dare noluit. Crumus deſperabundus recollectis copiis, Imperatoriis exercitum incluſum cædit. Caput Nicephori præciſum conto præfixit, omnibuſque demonſtravit: è cranio nudo argento incluſo, juſſit principes Bulgarorum bibere, atque inſultare Nicephoro, ut inexſatiabili, & pacem detrectanti. *Cedrenus.*

Equites Hungari, qui Geyſam, & Lanislaum fratres contra Salomonem Ungariæ regem ſequuti fuerant, Vidi domeſtici hujus belli auctoris cadaver ſpectantes, cujus conſilio tot fratres, & filii occubuiſſent, ira perciti, in id ſævierunt. In patefactum pectus pulverem conjecerunt, eoque oculos opplevere, exclamantes: nunquam, Vide, tui oculi honoribus, ac donis ſatiari potuere: conjecta nunc terra avidum pectus, & lumina exple. *Bonfin. l.2. Decad.2.*

* Crudelitatem Catuli ita graphicè ſcribit *Luc. l.2.* E

—— quid ſanguine Manes
Placatos Catuli referam? cum victima triſtis
Inferias Marius, forſan nolentibus umbris,
Pendit inexpleto non fanda piacula buſto:
Cùm laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, & toto quamvis in corpore cæſo.
Nil animæ lethale datum, moremque nefandæ
Dirum ſævitiæ pereuntis parcere morti.
Avulſæ cecidere manus, exſectaque lingua
Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu,
Hic aures, alius ſpiramina naris aduncæ
Amputat: ille canis evolvit ſedibus orbes,
Ultimaque effodit ſpectatis lumina membris.
Vix erat ulla fides, tam ſævi criminis unum
Tot pœnis cepiſſe caput, ſic mole ruina
Fracta ſub ingenti miſcentur pondere membra?
Nec magis informes veniunt ad littora nantes,
Qui medio periere freto.

Mortuo Stephano Pp. pars de populo, & clero Formoſum elegit Pontificem: pars verò Sergium III. Sed ea, quæ Formoſum elegerat, cum Sergius ordinandus eſſet, irruit in Ec- F cleſiam, & illo ab altari, remoto Formoſum conſecravit, anno Domini 895. juxta Marianum Scotum. Succeſſit Formoſo Bonifacius, Bonifacio Stephanus VI. à Formoſo olim Epiſcopus Anagninus ordinatus: qui collecta Synodo, omnia decreta ejus fecit irrita: & ordinatos ab eo denuò Romæ ordinavit ſed non extrà Romam. Cadaver ſepulcro extractum, Pontificali habitu ſpoliavit, & ſeculari veſte indutum, ſepulturæ laicorum mandavit: duoſque ejus digitos, quibus in conſecratione ſacerdotes utuntur, abſcidit, & in Tiberim abjecit, eo prætextu, quòd contra juſiurandum (quando Roma jam olim pulſus à Joanne IX. voverat, ſe non ampliùs rediturum) Romam, & ſacerdotium repetiiſſet, *Leo Hoſtienſis l.1. cap.58. in Chronico Caſſinenſi.* Romanus inde I. Stephani acta reſcidit. Theodorus II. ſimiliter. Maximè verò Joannes X. Formoſi cauſam, & ſectatores protexit. At Sergius III. Formoſi acta ita improbavit, ut denuò ad ſacros ordines eos admittere neceſſe fuerit, quos Formoſus anteà ſacerdotali ordine dignos cenſuerat. Ejus cadaver è ſepulcro tractum, capitali ſupplicio, ac ſi viveret, affecit: corpuſque ipſum in Tiberim projecit. *Plat. & Sigebert.*

Cremam oppugnabat Fridericus I. Imp. admotis turribus G ligneis altiſſimis. Primum, qui de ponte in urbem deſiluit, quidam ſubitò crudeliſſimè interfecit, cuteque capiti ejus detracta, in uſum capillatæ galeæ ſeſe induit: alteri manus, & pedes præciſi, & per forum fœdo repere ſpectaculo eſt permiſſum. *Sig. l.13. regni Ital.*

Lotharius Imp. Innocentium II. Pp. reducens, Rogerium Siciliæ regem ab Anacleto II. dictum, bello perſequebatur. Apuliam ei ereptam Reginaldo, ſive Ranulfo Germano dedit. Mortuo Lothario, Rogerius morte Ranulfi Ducis erectus, in Apuliam reverſus, Melfiam, ac Barium expugnavit, ac Reginonem Ranulfi fratrem haud magno negotio exturbavit, & ſævire in Eccleſias inſtitit. Præcipuè autem capto Bario Brunonis Archiepiſcopi, & Ranulfi Ducis ſepulcra revellit, & cadavera eorum educta per forum traxit, ac demùm crudelitate barbara laceravit, ac Caſſinas monaſterium opulentiſſ. expilavit. *Sig. l.11. regni Ital.*

Saxones Henrico IV. Rom. Imp. rebelles, Hennobergomo caſtello, corruptis quibuſdam cuſtodibus potiti, infantis filii Imperatoris ibi ſepulti manes violarunt, oſſa è conditorio eruerunt, & per agros ſparſere. *Avent. l.5. Annal. Bojorum.* H

Haraldus Canuti II. Anglorum regis F. rex factus, Emmam novercam cum filio Canuto III. proſcripſerat. Canutus fratre mortuo regnum recepit: memorque injuriæ ſibi pariter, ac matri Emmæ factæ, corpus ipſius Haraldi apud Veſtmonaſtrium paulò antè ſepultum exhumari, ac amputato capite, in profluentem deiici juſſit: quod mox à piſcatoribus inventum iterùm terra humatur. *Polyd. l.8.*

Mahometus II. Turcarum princeps, anno Salutis 1453. Conſtantinopolim cepit. Conſtantini Imperatoris mortui caput ad ludibrium palo affixit, & totis caſtris circumgeſtavit. *Raviſ. Cuſp.*

Turachanes Amuratis II. Turcarum regis dux octingentis Albanorum obtruncatis, ex eorum capitibus turriculas extruxit. *Chalcocondylas l.5.*

Mismael Sophus, Perſarum Taurifio occupato, ſepulcrum eximii operis, quo avunculus Jacuppus more Perſarum conditus fuerat, evertit, oſſibuſque diſiectis, & abraſis tota

urbe

urbe ejus titulis, quòd dolorem paternæ cædis expiaret, ac juſta perſolveret paternis manibus, omnem illius memoriam adolevit. Harduellem enim Hiſmaelis patrem Jacuppus interfecerat, metuens, ne ſub novæ religionis prætextu regno inſidiaretur. *Jov.*

THIETMARSI malè affecti erga Hamburgenſes, quòd impedire niterentur frugum ab Albi devectionem, turrim, quam ipſi Hamburgenſes communi navigantium ſaluti ad mare erexerant, in ultimis Hadeleriæ finibus oppugnavere. Hamburgenſes ſexcentos per Albim miſere ſatellites, conſulari viro navibus præfecto. Quem Thietmarſi incautum oppreſſere. Exenteratum ſtomachum feminæ infixerunt haſtæ, pro ſigno circumferentes victoriæ. Alii hoc factum fuiſſe volunt divinationis. *Crantz.l.11.Sax.cap.17.*

Iidem cùm Gerardum Sleſvicenſem ducem cum flore nobilitatis in via Suderhammenſe oppreſſiſſent, in ipſa cæſorum cadavera miſerè paſſim agros fœdantia (dum ſepulturam honeſtam ipſis negant) ſævierunt. Vix ducis, & paucorum equeſtris dignitatis virorum cadavera ad ſepulturam impetrari potuére, quantumvis magno argenti pondere oblato: reliqua multitudo, feris, alitibuſque in prædam, inſepulta ſub dio per agros jacuit. Vix tandem poſt multas preces nobilium feminis permiſſum, ut virorum oſſa undique collecta, ſacratarum virginum habitu indutæ, ad ſepulturam efferrent: neque id quidem, niſi ſub tali conditione, fuerant conceſſuri. *Actor belli Thietmarſiti, lib.1.& Crantzius l.10. Saxoniæ, cap.22.*

SELIMUS Turcarum Imperat. Aladolum regem, qui montanis Tauri, & Antitauri imperabat, proditione præfecti equitum cepit, & ejus caput, ut omnibus ludibrio foret, per totam Aſiam circumferri, & in teſtimonium partæ victoriæ Venetias ad ſenatum fœda oſtentatione tranſmitti curavit. *Jov.*

CAJETANI quidam (quorum patria, trucidatis crudeliſſimè civibus, à Gallis erat direpta) dum Ferdinandus II. Aragonius in urbem Neapolim à ſuis reciperetur, Gallique paſſim cæderentur, aliquot nacti Gallos, qui in templum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeò ut exempta morientibus corda immani quadam rabie præ ira, ac dolore acceptæ calamitatis dentibus admoverunt. *Jov.l.3. Hiſt.*

Prælio Mediolanenſi, Germani, qui cum Hallo militabant Pontinerium, proceritate corporis, animique virtute inter Helvetios duces clariſſimum, adequitantem ordinibus, ac ſuos clara voce, adjectis in Germanos contumeliis, cohortantem, ſclopetorum ictibus equo dejecere, & vaſti, obeſique corporis adipe, atque arvina patentibus plagis defluente, cruentas lanceas ſpectantibus Helvetiis junxerunt. Quæ apud Barbaros in acerbioribus odiis exactæ vindictæ graviſſima ceremonia perhibetur. *Jov.*

CHRISTIERNUS II. Danorum rex, anno Domini 1520. non contentus proditorum opera Sueonum, ac Gothorum principem Stenonem Juniorem viciſſe in prælio: cadaver ejus cum poſthumo exhumavit, crura, & brachia ignibus ſemjuſta in terrorem provincialium tranſmiſit. *Olaus libro 16. cap. 45. Septentr. hiſt.*

Hoſtium parentes, Uxores, Liberos, Amicos, ſocios.

☞ *Ex Tit. præcedente, huc quædam.*

AJAX Telamonius Thraciam Cheroneſum infeſtabat. Rex Polymeſtor, diffidens rebus ſuis, Polydorum, quem Priamus Trojanorum rex, recens natum, clàm omnibus alendum ei tranſmiſerat, mercedis loco ei tradidit. Itaque cùm multis execrationibus amicitiam Priami adverſùm Græcos renuiſſet, in pacem, fidemque receptus eſt. Reverſo ad exercitum Ajace, Menelaus Helenam à Trojanis repetit, & pro ea Polydorum offert. Cæterùm re infecta dimiſſus, Ulyſſem ſecundo legatum mittit. Huc in multo etiam jurgio dimiſere Trojani. Ea nova injuria irritatis Græcis, totius exercitus conſenſu Polydorus productus in medium, viſentibus ex muris pleriſque hoſtium lapidibus ictus, fraternæ impietatis pœnas luit: ac mox unus ex præconibus nunciatum Ilienſibus miſſus fuit, uti Polydorum ſepeliendum peterent. Idæus Polydorum matri Hecubæ retulit. Hinc argumentum ſumpſit Euripides fabulæ, quam in Hecuba expreſſit. *Dyctes Cretenſis l.2. de bello Trojano.*

NEOPTOLEMUS Achillis F. Aſtianactem Hectoris, F. per Ulyſſem è turri præcipitavit. *Pauſ. in Phocicis.*

Cùm CAMBYSES Perſarum rex, inſtinctu, atque ductu Phanis Ægypti perfugæ, Pſammenito regi bellum intuliſſet, Ægyptii, Calaſiries, item Græci, & Cares, qui in exercitu Pſammeniti erant, Phani infenſi ob proditionem, filio Phanis relicto in Ægypto, in caſtra producunt, atque in conſpectum patris, poſito medio duorum exercituum cratere, dehinc productos ſingulos puerorum, ſuper craterem obtruncaverunt. Omnibus interfectis, vinum & aquam in craterem intulerunt. Quo ſanguine epoto, auxiliares ita conflixerunt. Acri prælio commiſſo, perquam multis utrinque cadentibus in fugam verſi ſunt Ægyptii. *Herodotus libro 3.*

Sicionii, cùm cepiſſent Pellenem, uxores, & filias Pellenenſium in lupanari proſtituerunt. *Ælianus lib.6. de varia hiſtor.*

Poſteàquam Perſæ potiti ſunt urbibus Joniæ, ſub Dario rege formoſiſſimos quoſque puerorum ſeligentes caſtraverunt exectis teſtibus facientes eunuchos: virgineſque ſpecioſas ad regem tranſportarunt Suſa: & ſuper hæc, urbes cum ipſis templis cremaverunt. *Herod.l.6.*

Dionyſii liberos, & conjugem conſtupratos Itali interemerunt. Inde combuſtorum cadaverum cineres ex navigio in altum diſſiparunt. *Plut. in præcept. Polit.*

PTOLEMÆUS Laturus in Ægypto pulſus à matre Cleopatra, Cypro occupata, in Syriam cum exercitu venit, & juxta Aſophon cum Alexandro Judæorum rege ſignis collatis Judæorum xxx. millia cecidit. Timagenes autem L. millia in ſuis ſcriptis retulit: cæteros partim captos, partim fuga ſervatos incolumes. Cùmque poſt victoriam longè, latèque excurriſſet, ſerò tandem in quoſdam Judæorum vicos ſe recepit: quos ubi vidit refertos pueris, & mulieribus, mandavit militi, ut promiſcuè jugulatos, & in fruſta conciſos, in lebetes ferventes membratim coniicerent, ut qui effugerant è prælio, hoſtem crederent, humanis veſci viſceribus, & eo major terror incuteretur reliquis: & hujus crudelitatis tam Strabo quàm Nicolaus meminit. *Joſephus libro 13. capite 21. Antiq.*

PTOLEMÆUS Abubi F. in Hyrcani Pontificis Judæorum matrem, & fratres captivos crudeliſſimus fuit. Obſeſſus enim ab Hyrcano in arce quidam ſupra Hierichuntem, productos in mœnia flagris cædebat in loco omnibus conſpicuo: minitans ſe præcipitaturum eos, niſi ab oppugnando deſiſteret. Quo ſpectaculo Hyrcanus motus ab oppugnatione deſtitit, Ptolemæus à bello liberatus, matrem Hyrcani cum fratribus occidit, & ad Zenonem Cotylam Philadelphienſem tyrannum confugit. *1. Machab. 16. & Joſeph.l.13.cap.15. Ant.*

L.SYLLA notavit proſcriptorum liberos, nepoteſque infamia, omniumque publicavit bona. *Plut. in Sylla.*

AUGUSTUS Cæſar M. Antonio victo, & ad necem ſibi inferendam adacto, Antonium juvenem, majorem de duobus Fulvia genitis, ſimulacro divi Julii, ad quod poſt multas, & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæſarionem, quem ex Cæſare patre Cleopatra concepiſſe prædicabat, retractum è fuga ſupplicio affecit. *Suet.*

Cùm Romani à Gothis ad Græcos defeciſſent, & obſidionem pertinaciſſimè tolerarent, Vitiges rex Gothorum obſides Romanos nobiliſſ. quos Roma excedens Ravennam ſecum abduxerat, necandos curavit. *Procopius.*

SIGISMUNDUS Ariſpandi filius, & Longobardorum rex, Ariperto (quo cum certabat) oculos eruit: uxoremque ejus naſo, auribuſque truncis dehoneſtavit. *Raviſ. ex Paulus Diaconus.*

CAROLUS MAGNUS captivos Saracenorum, Maurorumque, & Normannorum pueros, atque infantes ad enſem metiri ſolebat, quicunque exceſſiſſet enſem, capite truncabatur. *Aventin.l.4. Annal. Bojorum.*

ECELINUS tyrannus Mantuam obſidens, nuncio de Patavii amiſſione accepto, diſſimulato præſenti dolore, rem tamdiu occultam eſſe voluit, quoad Veronam veniſſet: quò poſt acceptum nuncium citato agmine ſe contulit. Hic urbe cum omnibus copiis inita, duodecim Patavinorum millia, quos in caſtris habebat, non mercenarios milites, aut gregarios, ſed ingenuos omnes, & in his eminentioris fortunæ non paucos, diverſis cruciatibus ad unum necavit, anno 1259. *Sab. l.9. Decad. 1. Blond.l.8. Decad.2.*

PHILIPPUS II. Gallorum rex, bello Anglico contra Joannem regem, Galliardum obſedit ſex continuos menſes: eòque fames clauſorum proceſſit, ut cùm à præſidio imbellis multitudo ex oppido ejecta, à Francis nec reciperetur, nec cibo juvaretur: mulier gravida in conſpectu omnium enixa ſit, fœtuſque ſtatim abſumptus. *Æmil.l.6.*

FRIDE-

FRIDERICUS I. Imp. Mediolanum obſidens anno 1161. ſi quos ad levandam obſidionem appoſitum inferentes deprehendiſſet, eos præciſis manibus, aut effoſſis oculis, aut truncatis naribus domum dimiſit, ut tali fœditate ſupplicii ab ejuſmodi conatu reliquos abſterreret: aut imbribus die noctuque objectos, ac frigore maceratos, ad paciſcendam quantamcùmque pro redemptione pecuniam compulit. *Sig. lib.13. regni Ital.*

EDUARDUS III. Anglorum rex, Bervicium arcta obſidione premebat. Alexander Setoum præfectus urbis cum rege paciſcitur, niſi ante tertium Cal. Aug. auxilia à Scotis mitterentur, ſeſe illi urbem deditarum: obſide dato filio natu majore, minore ab Anglis capto. Intereà Archimbardus Douglas Scotiæ gubernator, ut ab obſidione retraheret Anglos, Angliam invadere ſtatuit. Eduardus veritus ne victoria ex manibus eriperetur, oratores ad Alexandrum mittit, ut extemplo oppidum dedat: quod ni fecerit, habere ſe quo compellat: filios in conſpectu ipſius totiuſque urbis, patibulo ſuſpenſurum. Alexander fidem datam fruſtrà obteſtans, quod induciarum tempus nondum elapſum eſſet, cùm ad crucem filios duci à turri excelſa conſpiceret, ad deditionem flecti videbatur. At uxor ejus fidei illum erga patriam ſuæ admonere, mortem liberorum pro patria laudibus extollere cœpit, multa quinetiam alia conſolandi gratia, ac deterrendi ergo proferens, maritum paulùm confirmatum, nihilominus tamen mœſtum domum abducit, ne ſi mortem filiorum indignam cerneret, gravius aliquid in civitatem patraret. Filii in crucem mox ſublati, honeſtiſſimam patriæ mortem exolverunt. *Hiſtor. Boethius l.15.*

Cùm Britanni ſervitutis pertæſi, à Scotis, & Pictis defeciſſent, & Conſtantinum ex Armorica regem feciſſent, Scoti & Picti Britonum cognito conſilio, obſides ducentos, non minores 20. non majores 30. annis, penes ſe detentos, variis cruciatibus ad unum interemerunt. *H. Boeth.l.8.*

Cæſo à Modredo Pictorum, & Lugenio Scotorum regibus Arthuro Britannorum rege, Britanni Conſtantinum Cornejanum regem declararunt: & Modredi Pictorum regis itidem in acie cæſi liberos, Guallani auri cura in Britannia educatos, ad quos hæreditario jure ex fœdere regnum Britanniæ pertinebat, in matris ſinu fœdè trucidarunt. *H. Boethius l.9.*

TAMBERLANUS Tartarus, capta Sebaſtia, civium liberos, & mulieres in unum locum agens, immiſſo equitatu omnes conculcavit. *Chalcocondylas l.3.*

FELICIANUS ZAACHUS, Carolo I. Ungarorum regi familiaris, cùm opibus, & dignitate creviſſet, tyrannidem invadere decreverat. Itaque regem de more ſolus adiens, ſtricto enſe feriit. Rex evitato ictu profugit. Tumultu excitati ſatellites parricidam membratim diſcerpſere. Feliciani F. bigis diſtractus canibus, & porcis cum patre præda fuit. E filiabus Clara, quæ reginæ famulabatur, labiis, naribus, octoque digitis mutilata, per compita circumducta, in triviis alta voce proclamare fuit coacta: En digna proditionis præmia. Altera Sebe capite mulctata eſt, marito per inediam in carcere necato, filiis Rhodon relegatis, amicis extremo affectis ſupplicio. *Bonfin.lib.9. Decad.3.*

NICOLAUS Piccininus, cùm Philippi Mediolanenſis ducis auſpicio Album Ingaunum obſideret, captum Valentem Fogaciam, quòd ab obſeſſis deferre literas deprehenſus erat, collo ejus ad crura alligato tormento, quod lingua Italica Bricolam vocant, in urbem tranſmiſit. Qui quamquam ante moreretur, quam terram attingeret, ſævum tamen mortis genus viſum eſt. Diſcerptus enim tanti caſus altitudine humanam formam amiſerat. *Fulg.l.9. cap.3.*

CONRADUS Trincius, qui Fulgineæ in Umbria imperavit, cæſo Nicolao ejus fratre à præfecto arcis Nucericæ ob adulterii ſuſpicionem, cùm in præfectum ipſum ſævire nequiret, qui ſe deſperabundus è ſumma turri dejecerat, familiares, cognatos, amicos, notos ejus captos, & excarnificatos, ad ultimum comminui in fruſtrà, exenterarique imperavit, ac per ſentes, maximèque frequentium viarum ſepes, eorum viſcera inteſtinaque ſuſpendi, ac paſſim diſpergi. *Pon. de immanitate, cap.14.*

Orto inter Franciſcum I. Gallorum, Henricum VIII. Anglorum reges bello, anno 1522. Franciſcus Anglos toto regno comprehendit, ac comprehenſos ad redimendum ſeſe cogi juſſit. Mercatores, qui Burdegalæ vinum mercati erant, portorium ſolverant, uno omnes momento capti, fortunis ſpoliantur, & acerbè mulctantur, unus ex captivis domum dimiſſus, ut precium mulctæ aliis irrogatæ parandum curaret, aperuit regi ſævitiam Gallorum. Is idem exemplum in Gallos ſtatuit, qui Londini erant. Ii tamen poſt decimum diem, quam in vincula conjecti fuerant, datis vadibus, ut ad certum diem adeſſent ad curiam prætoris, vel in ſenatu regio, & mulctam ſolverent, liberati ſunt. *Polyd.l.27.*

ERGA BRUTA CRUDELES.

PHARNUCHES equitatui Xerxis contra Græcos præfectus, cùm Sardibus egreſſus, canis ſub pedes equi intercurrentis conſternatione excuſſus, poſt ſanguinis vomitum in phthiſim incidiſſet: equum in eum locum, ubi dominum ſtraverat, abductum, genibus mutilandum curavit. *Herod. l.7.*

Areopagitæ puerum, qui oculos omnibus cornicibus, quos habere poterat, eruere ſolebat, indolis improbitatem deteſtati, è medio ſuſtulere. *Quintilianus l.5.cap.9.*

RUSTICUS quiſpiam, cùm aſinum ſuum per alpes nivibus obtectas duceret, iſque freno non obediret, iratus in rupes protruſit. Hinc proverbium, Aſinum in rupes protrudere. *Eraſm. in Adag.*

Cùm quidam Agaſonem ruri cæderet, & ille exclamaret, Athenienſis ſum, liber ſcilicet, & indignus flagris: ad aſinum converſus, & Atqui tu Athenienſis non es, inquiens, fuſte penè confecit. *Plut.*

ERGA INANIMATA CRUDELES.

Utputa erga

REGIONES.

Quotieſcunque Tartari in aliquas provincias excurrunt, eas deprædatas, abductis captivis, igne, ferroque funditus perdunt, & ocyùs fugiunt. Quo verò plures provincias deſolaverunt, hoc ſe regna ſua (in campis enim ſub dio vivere ſolent) ampliora reddidiſſe dicunt. *Guagn. in deſcript. Tartar.*

URBES, ARCES, DOMOS.

☞ *Vide Tit. Urbes everſæ.*

ALEXANDER MAGNUS Perſepoli capta, compotationem, & luſum cum amicis iniit: interfueruntque meretrices, quæ comeſſatum venerant ad amatores ſuos. Inter has nobilis in primis Thais Ptolemæi, qui poſt regnavit, amica, ex Attica oriunda, partim ſcitè celebrans Alexandrum, partim alludens, in ſermonem eſt temulenta provecta, patriæ quidem ejus congruentem moribus, ſed ſupra ejus conditionem: quippe laborum ait, ſibi in peragenda exantlatorum Aſia illo die fructum recipere ſe, ſuperbæ Perſarum regiæ inſultantem: verùm multò libentiùs per ludum, & laſciviam domicilium Xerxis, qui inflammavit Athenas, ſuccenſuram, faceſque manibus ſuis inſpectante ſubdituram rege: quò inter mortales vulgaretur, ſequentes Alexandri caſtra mulierculas majores pœnas à Perſis vicem Græciæ, quàm Græcos navalium, & terreſtrium copiarum duces expetiſſe. Cùm dicentem eſſet aſſenſus, & admurmuratio conſecuta, adhortatioque, & contentio amicorum: impulſus in eam ſententiam exiliit, coronatuſque, & facem manu tenens progreſſus eſt. Alii ſequentes ludibundi, clamanteſque regiam cinxere: reliquorumque Macedonum, ubi id intellexerunt, concurſus illuc cum lampadibus exultantium factus eſt. Sperabant enim domum reſpicientis eſſe ſignum, nec commoraturi inter barbaros, quòd regiam eorum incenderet everteretque. Atque hæc ita aliqui auctores ſunt geſta fuiſſe, alii conſulto. Atqui citò illum pœnituiſſe facti, atque ut reſtinguerent flammam imperaſſe, in confeſſo eſt. *Plut. in Alex.* Sic impietatem Xerxis Perſarum regis, quam in Athenienſium arcem commiſerat, unica femina gentis ejus, quæ injuriam illam ſuſtinuerat, poſt multos annos in feſto ludicro, eodem cladis genere ulta eſt. *Diod. l.17.*

FLUVIOS.

CYRUS Perſarum rex, dum Babylonicos urget, Gyndem amnem, quoniam in eo quidam è ſacris aquis candidis ſubmerſus fuerat, in centum octoginta alveos diviſit, ultionis gratia. *Herod.*

Cùm ponte Helleſpontum apud Abydum, & Seſtum junxiſſet Xerxes Perſarum rex, expeditionem contra Græcos parans, atque is oborta ingenti tempeſtate diſſolutus fuiſſet: indignè ferens ſtupidiſſimus rex hanc injuriam, juſſit trecenta verbera Helleſponto infligi, & in pelagus par compedum demittit.

mittit. Miſit quoque, qui ſtigmata Helleſponto inurerent, & colaphos incuterent, barbaris his verbis: O aqua amara! Dominus hanc tibi irrogat pœnam, quòd eum læſiſti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis, noliſve tranſmittet, meritoque nemo hominum tibi ſacrificat, ut doloſo pariter, & amaro flumini. Illos autem, qui pontem fecerant, capite mulctavit. *Herod.l.7.*

MONTES.

Cùm Perſarum claſſis, duce Megabyzo, imperante Dario maximam cladem apud montem Athon paſſa eſſet: Xerxes ejus injuriæ vindicandæ cupidus, ut ſtultum regem decebat, contra Græcos expeditione ſuſcepta, Iſthmum perfodit, tantæ latitudinis, ut duæ triremes pariter illac agitari poſſent, eò ſpacio, quod eſt inter Sanam urbem Græcam, & montem Athon. Mediæ igitur urbes quinque, Dion ſcilicet, Olophyxus, Acrothoon, Thyſus, Cleonæ, è continenti inſulanæ ſunt redditæ. *Herod.l.9.*

STATUAS.

Cùm è vita jam diſceſſiſſet Theagenes Thaſius, athleta nobiliſſimus, ex ejus obtrectatorum numero quidam ad ejus ſtatuam nocte qualibet accedens eam flagris cædebat: non aliter quàm ſi in eo ære ipſum viventem ulciſceretur. Cùm autem hominem ſtatua ſubito caſu oppreſſit, ejus filii ſtatuam de cæde poſtularunt, eſtque ea Thaſiorum ſententia in mare abjecta, Draconis ſcilicet lege, qui anima etiam carentia, urbe, agroque exterminanda (cùm Athenienſibus leges ſcriberet) ſanxit, ſi quid fortè eorum corruens, homines peremiſſet. At enim cum per multos deinceps annos frugem ferè nullam terra Thaſiis redderet, qui ſciſcitatum Delphos miſſi fuerant, reſponſum tulere. Exules revocandos. Neque tamen exulibus revocatis finem ſterilitatis repperere. Quare cùm iterùm per legatos queſti eſſent, ſe quidem dicto audientes fuiſſe, non eſſe verò deorum iram ulla ex parte placatam, reſpondit rurſus Pythia:

Theagenis at veſtri nullam rationem habuiſtis.

Ibi cùm ea cogitatio ſollicitos haberet, quanam arte ſtatuam Theagenis reciperent, piſcatores ajunt in altum provectos, inter piſces rete comprehenſam effigiem Theagenis in litus expoſuiſſe. Ea in ſuum locum repoſita, à Thaſiis divinis celebrata fuit honoribus. *Pauſan.in Elia,l.6.*

SEPULCHRA.

CLISTHENES Sicyonis tyrannus poſteàquam cum Argivis bellum geſſit, ſummovit è Sicyone certamina canentium poemata ob Homeri carmina, in quibus Argos, atque Argivi tantopere celebrantur. Voluit enim monumentum Adraſti calamitoſi, quod erat in ipſo Sicyoniorum foro, qui fuerat Argivus, exterminare. Ideòque Delphos adiit ad oraculum conſulendum, nunquid Adraſtum eiiceret. Id non concedente ſibi Deo, Cliſthenes reverſus cogitabat, quo pacto Adraſtus ipſe demigraret. Miſit ergo ad Bœotias Thebas nuncium, velle ſe afferre Sicyonem Menalippum Aſtaci filium. Eumque tribuentibus Thebanis, in urbem intulit: atque ei fanum in ipſa curia deſignatum exædificavit munitiſſimo in loco, in quem intulit Menalippum. Quod factum deberet exiſtimari inimiciſſimum Adraſto, quod & Meceſtem fratrem ejus, & Tydeum generum Menalippus interfeciſſet. Cliſthenes ubi fanum extruxit, hoſtias, & dies feſtos Menalippo dedit ab Adraſto ereptos, quibus illum Sicyonii magno cum honore proſequi conſueverant. *Herod.l.5.*

CRUDELITAS RESPECTU INJURIÆ RELATÆ AD PATIENTEM, QUI per illam læſus eſt, vel quoad ANIMUM.

☞ *Ex ſeq. Tit. Injuriæ conſideratæ reſpectu Agentis huc quædam, quatenus Agens lædit per hæreſim activè, & Patiens læditur per communicatam hæreſim paſſivè.*

CORPUS. INJURIÆ ULTIO ILLATÆ PER CÆDEM.

HECUBA, Priami regis uxor, ut Achillem interfectorem filii Hectoris ulciſceretur, accerſito Alexandro filio, hortata eſt eum, ut & ſe, & ſuos fratres vindicaret, inſidias Achilli faceret, & eum nec opinantem occideret hoc pacto. Quoniam is rogaverit ſibi Polyxenam dari in matrimonium, ſe ad eum miſſuram Priami verbis, ut pacem, fœduſque inter ſe confirmarent in fano Apollinis Thymbræi ante portam Achilli ſub ſpecie colloquii inſidias collocari poſſe. Noctu eliguntur de exercitu fortiſſimi, & in fanum Apollinis collocantur, ſignum accipiunt. Hecuba ad Achillem nuncium mittit. Achilles lætus Polyxenam amans, poſtera die cum Antilocho filio Neſtoris ad conſtitutum locum venit. Ex inſidiis erumpit Paris. Achilles brachio ſiniſtro chlamyde involuto, multos occidit: Alexander Antilochum interemit, ipſumque Achillem multis plagis confodit. *Dares Phryg.*

POLYXO Helenam cognatam ſuam Rhodi in balneo ſtrangulandam curavit, eò quòd Tlepomenus maritus ſuus in Trojana expeditione periiſſet. *Pauſ.in Lac.*

ALTHEA Oeni uxor, duorum fratrum cædem ulciſcens, Meleagrum filium cædis auctorem crudeliter devotum ad mortem compulit. *Anton. Liberalis in Metamorph.*

ALCMÆON Eriphylem matrem interfecit, quòd illa Amphiaraum patrem (qui in bello Thebano terræ hiatu abſorptus eſt) Polynici prodidiſſet, accepto monili aureo. *Virgil.l.7. Æneid.*

—— mœſtamque Eriphyleus,
Crudelis nati monſtrantem vulnera, cernit.

Servus, & Diodorus lib.5.

ORESTES Clytæmneſtram matrem interemit, in ultionem patris Agamemnonis: quem à Troja redeuntem illa cum Ægyſto adultero interfecerat. *Ovid.l.1.Eleg.*

Et vindex in matre, patris malus ultor Oreſtes:
Auſus in arcanas poſcere tela deas.

ÆGYSTHUS Thyeſtæ filius, Agamemnonem Troja reverſum occidit, uxorem ejus Clytæmneſtram conſtupravit, mortemque Pliſthenis, & Tantali fratrum ſuorum ab ipſo Atreo interfectorum ultus eſt in Atrei nepote.

MAMERTES, cùm Siſaphonis Corinthii fratris ſui filios regnandi libidine peremiſſet, ab ipſo Siſaphone membratim laceratus eſt. *Ovid.in Ibin:*

Trunca geras ſævo mutilatis partibus enſe,
Qualia Mamertis membra fuiſſe ferunt.

Locrorum à Troja redeuntium claſſis in Ægeo mari fulmine comminuta, & incenſa eſt. Ajax Oilei dux fruſtrà natando evadere eniſus eſt. Reliqui per noctem tabulis, aut alio ex naufragio levamine fluitantes, ubi ad Eubœam devenere, Chœradibus ſcopulis appulſi perierunt. Eos namque re cognita, Nauplius ultum ire cupiens Palamedis filii necem, per noctem igni elato ad ea loca deflectere, tanquam ad portum, coegerat. Oeax Nauplii filius. Palamedis frater, cognito Græcos ad ſuos remeare, Argos venit. Ibi Ægialem, atque Clytæmneſtram falſis nunciis adversùm maritos armavit, ducere eos ſecum uxores Trojanas dictitans, & mobile ſuaptè natura ingenium muliebre adversùm maritos incendens. Ita Ægiale advenientem Diomedem per cives aditu prohibuit. Clytæmneſtra per Ægyſtum adulterio ſibi cognitum, Agamemnonem inſidiis cepit, & interfecit. *Dyctes l.6.*

Cùm Androgeus Minois F. in Attica dolo diceretur peremptus, Minoa multas clades bello intuliſſe incolis, ac deos regionem fœdaſſe ajunt: ſterilitatem enim, & morbum paſſim incubuiſſe, ac flumina exaruiſſe. Cùm autem præcepiſſet Apollo, ſi Minoa placaſſent, & fuiſſent cum eo reconciliati, divinam iram conſtitutam, requiemque fore malorum: nos miſſis legatis cum ſupplicibus fœdus feciſſe, ut tributum novem annis mitterent ſeptenos impuberes adoleſcentes, totidemque virgines. Id ferè convenit inter ſcriptores. Pueros in Cretam deportatos horrendiſſima fabula jactat in Labyrintho Minotaurum peremiſſe, vel vagantes, nec invenire valentes exitum ibidem mortuos: Minotaurum, ut ait *Euripides*, fuiſſe

Mixtum genus, puerumque monſtrificum, ſimul
Gemina ex natura hominiſque editum.

Cretenſes, Pilochorus auctor eſt, hæc inficias ire, ac dicere cuſtodiam Labyrinthum fuiſſe, quæ nihil mali, niſi quod non valerent inde effugere cuſtodi, haberet: Minoa in Androgei memoriam ludos gymnicos feciſſe, victoribuſque præmio dediſſe pueros, qui tunc in Labyrintho aſſervabantur. Viciſſe prioribus ludis eum, cujus erat id temporis prima apud illum auctoritas, & ducem belli nomine Taurum, feris, & duris hominem majoribus, qui pueros Athenienſium ſuperbè, & crudeliter haberet. Ipſe quoque in Bottiæorum Rep. Ariſtoteles fatetur, à Minoe non arbitrari ſe interfectos fuiſſe pueros, ſed mercenariam vitam agentes in Creta conſenuiſſe: ac Cretenſes aliquando ad vetera perſolvenda vota hominum miſiſſe primitias Delphos, atque cum his, qui mittebantur, miſtam illorum ſobolem unà emigraſſe. Qui cùm victum ibi quærere non valerent, in Italiam tranſmiſiſſe primùm, atque illic ſedes circa Japygiam collocaſſe, inde rurſus delatos in Thraciam, & dictos Bottiæos. Quapropter Bottiæo-

rum virgines per certa ſacra accinere. Pergamus Athenas. Uſque adeò grave, & cum periculo infamiæ eſt, exercere cum civitate, quæ linguam habet, & literas, inimicitias. Etenim audivit perpetuò malè Minos, & in theatris Athenis proſciſſus eſt: neque ei vel Heſiodus profuit, ſummum regem, vel Homerus, Jonis appellans diſcipulum: verùm prævalentes tragici, magna eum ex pulpito, & ſcena macula, ut trucem, & ferum aſperſere, quamvis Minoa ferant regem, & legislatorem, judicem Rhadamanthum fuiſſe, & juris, & ab eo ſanciti cuſtodem. *Plut. in Theſeo.*

PHERETIMA Cyrenæorum regina ope Perſarum ſuperatis Barcæis, qui filium Arceſilaum interfecerant, cædis auctores ſudibus affixit per ambitum murorum: feminarum quoque deciſas mamillas circa muros appendit. Cæteros Barcæos Perſis, ut diriperent imperavit, præter Batriacias, & qui cædis affines non extiterant. His urbem permiſit, reliquis in ſervitutem abreptis. *Herod.l.4.*

Cùm Corcyræi Lycophrontem, Periandri Corinthiorum tyranni F. interfeciſſent, Periander eos armis ſuperavit: & trecentos eorum filios ex primoribus, Sardis ad Halyatrem caſtrandos miſit. Eos tamen Samii liberaverunt. *Herodotus libro 3.*

PARISATIS Cyri junioris filii interfectores crudeliſſimis ſuppliciis affecit. *Plut.in Artoxerxe.*

MANDANE, ſoror Xerxis, Themiſtoclem apud fratrem exulantem, ob interfectos liberos ad Salaminem muliebriter ulciſci cupiens multis lacrymis apud Xerxem inſtabat, ne ſuorum natorum cædem ſineret inultam. Sed à rege repulſam tulit, qui majoris, & Themiſtoclem, & jus hoſpitalitatis habuit. *Diod.l.11. & Plut.in Themiſt.*

In Cæſaris percuſſores M. Antonius, & Octavius crudeles fuere. Perierunt proinde illi eo triennio, quo ille interfectus eſt, alii alio caſu: cæterum multò plures ferro, quam alia vi, & ex his haud pauci eodem pugione, quo Cæſarem violaverant. *Sab.l.8. Enn.6.*

FABRICIANUS matrem Fabiam interfecit, quòd illa Fabium Fabricianum maritum ſuum occidiſſet, ut liberiùs adulterium cum Petronio adoleſcente committeret. Doſitheus apud *Plut.*

Mulier Smyrnæa, ut filii ex priore marito ſuſcepti cædem ulciſceretur, virum, atque filium veneno interfecit.

☞ *Vide Tit. Judicii ſuſpenſio in practicis, ſub exempl. Dolabellæ.*

TIBERIUS Cæſar ſubinde auxit, intenditque ſævitiam, exacerbatus indicio de morte filii ſui Druſi: quem cum morbo, & intemperantia periiſſe exiſtimaret, ut tandem veneno interemptum fraude Livillæ uxoris, atque Sejani cognovit, neque tormentis, neque ſupplicio cujuſquam pepercit: ſoli huic cognitioni adeò per totos dies deditus, & intentus: ut Rhodienſem hoſpitem, quem familiaribus literis Romam evocarat, adveniſſe ſibi nunciatum torqueri ſine mora juſſerit, quaſi aliquis ex neceſſariis quæſtioni adeſſet: deinde errore detecto & occidi, ne divulgaret injuriam. Quod & niſi eum mors præveniſſet, & Thraſyllus conſulto (ut ajunt) differre quædam, ſpe longioris vitæ, compuliſſet: plures aliquantò necatus, ac ne reliquis quidem nepotibus parſurus creditur: cùm & Cajum ſuſpectum haberet, & Tiberium, ut ex adulterio conceptum aſpernaretur. Nec abhorret à vero: namque identidem felicem Priamum vocabat, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet. *Suet.*

MARTIALIS Romanus eques, Macrini præfecti prætorio ſuaſu, Antonium Baſſianum Caracallam Imp. dum in agro ventrem levaret, à ſuis aliquantiſper ſemotum interfecit: & cum inde ſe fuga proripere vellet, ſtatim interemptus fuit. Ad hanc cædem impulſus, quòd paulò antè Baſſianus ejus fratrem interemerat. Fraternæ igitur necis ultionem vitæ ſuæ antepoſuit. *Fulg.l.9.c.10.*

MAXIMUS Imp. prima nocte cum Eudoxia Auguſta cubans illud in ſermone imprudenter inieccrat, ſe nimio illius amore incenſum, viro ejus Valentiniano III. inſidias tetendiſſe, eaque vox altiùs, quàm opus fuiſſet, in pectus Eudoxiæ penetrarat. Itaque mulier, ſive propriæ contumeliæ impotens, ſive alienæ ultionem injuriæ appetens, ſtatim animum ad perniciem Maximi appulit: ac mox, aliis auxiliis deſperatis, occultè nuncium ad Genſericum regem Vandalorum in Affricam cum literis, ac muneribus ampliſſimis miſit: magnoperè obteſtans, ut ad ſe, civitatemque Romanam infeſta Maximi tyrannide liberandam, ac ſimul ad Valentiniani mariti necem injuſtiſſimam vindicandam accederet, id enim ipſum fœderi, amicitiæque debere, quo nuper ſe cum eo per Honori- cum filium obſidem aſtrinxiſſet. Genſericus ſubitò ſpe ingentis, atque opimæ prædæ illectus, claſſem ad expeditionem Romanam inſtruxit, ac trecentis millibus Vandalorum, Maurorumque impoſitis, curſum Romam versùs propè fatalem intendit. Qua re cognita, tantus è veſtigio civitatem pavor invaſit, ut eodem momento urbs capta omnibus videretur. Itaque populares juxta, ac nobiles de ſua ſalute ſoliciti urbe ſe tumultuoſè proripuerunt, atque in montes, ſylvaſque, ut tutiores futuri latebris, profugerunt. Maximus & ipſe formidine anxius, ac propè ab omnibus auxiliis deſtitutus, ex urbe exceſſit, ſeque cæteris non tam fœdæ, quàm periculoſæ fugæ ſocium præbuit. Fugientem autem, ac ſolum ubi ſenatores quidam inimici ejus viderunt, veteres ſubitò offenſionum acerbitates animo revocarunt, atque iracundia incitati per occaſionem lapidibus inceſſerunt, ac mox tractum, laceratumque per Urſum Romanum militem in Tyberim projecerunt. Genſericus, poſt triduum urbem neceſſario præſidio vacuam, nemine reſiſtente, inivit, atque diripuit. *Sig. lib. 14. Imp. Oc. ex Evagr. Diac. Zonara.*

Theſſalonicæ inſtantibus equeſtribus ludis, populus nobilem aurigam quendam, qui ob læſum hominem in vinculis habebatur, ſibi dari popoſcit, & cùm non impetraret, commota ſeditione, hominem, qui violatus ab auriga dicebatur, necavit. Qua de re Theodoſius, qui belli contra Maximum ſuſcepti cauſa illic morabatur, ira ardens, duriùs in omnes conſulere voluit: verùm ab Epiſcopis, ut ſe ad lenitatem daret, rogatus, tandem ſe temperaturum ſpopondit. Poſt aliquot inde dies, cùm res propè ex omnium animis excidiſſet, nefario domeſticorum impulſu illud impotentius, ne dicam vecordiùs fecit, quod ſeptem millia hominum in theatrum ludorum gratia convocata, & quidem innoxiorum, militibus immiſſis, gladio ferienda, atque necanda mandavit. Qua re judicatum nihil fœdius, aut crudelius ne à barbaro quidem patrari homine potuiſſet. *Sigber. libro 9. Imp. occid.*

ARMARICUS Gothorum rex potentiſſ. cùm jam quidem fœminam mariti ſui deſertricem, indomitorum pedibus equorum alligatam, diſcerpi curaſſet: fratres obſervato tempore, in acie contra Hunnos latus regis gladio foderunt. Itaque, & vulnere, & dolore confectus, rebus exceſſit humanis, cùm decimum ſupra centeſimum annum vitæ expleſſet. Eam occaſionem Hunni arripientes, qui tunc primum ex Septentrione egreſſi Mœotidis paludes ſuperaverunt, Gothorum terras vaſtarunt. *Crantzius lib. 2. Sveciæ, cap. 15. & Joan. Magnus l.9.c.25.*

ALBOINUS Longobardorum rex, qui primus in Italiam venit, Veronæ in convivio ebrius, calvam Turiſmundi (alii Cunimundum vocant) Gepidarum regis filii, quem occiderat, Roſimundæ conjugis patrem ad conjugem miſit, monens, ut cùm patre biberet. Roſimunda eo facto offenſa, cum è puellarum numero, quas in obſequio habebat, unam ab equite Longobardo Mimichilde (vel Helminge) nomine, diligi ſciret: egit, ut vocatus in obſcurum cubiculum, tanquam cum amata puella cubiturus commiſceretur. Mox apertis feneſtris interminata eſt, niſi Alboinum occideret, ſe perpetrati flagitii eum accuſaturum. Ergo verbis, miniſque victus, noctu in lecto jacentem Alboinum occidit. Facinore perpetrato, Ravennam ambo ad Longinum exarchum profugerunt. *Fulg. libro 5. cap. 4. & Sabell. lib.3. cap. 6. & Egnat.l.5.c.4.*

LAMBERTUS rex Italiæ, Mangifredum Mediolani comitem Berengariæ factionis capitali ſupplicio affecerat: ſed Hugonem ejus F. omnibus honoribus colligendæ benevolentiæ cauſa erat complexus. Fortè autem accidit, ut inter venandum in Marinci nemore, cæteris in diverſas ſylvæ partes effuſè, ut fit, equorum curſu perlatis, Hugo cum Lamberto remanſerit: qui paternæ injuriæ recordatus, conſilium ulciſcendæ cepit, occaſionem nactus, quòd rex ad quaſdam anguſtias, per quas aper impellendus erat, conſtiterat, atque labore, & expectatione diutina fatigatus, paululùm quieturus ſemetipſi cuſtodiendum commiſerat. Itaque ſomno ſtratum gladio percutere veritus, ne ſanguinis effuſio patratorem facinoris proderet, cervici fuſtem inflixit, atque ipſum effuſè currentem equo præcipitaſſe, collumque fregiſſe, diſſeminavit. *Sig.l.6.reg.Ital.*

CHILDEBERTUS Francorum rex, ut materni avi cædem ulciſceretur, Burgundis bellum intulit, & Sigiſmundum ejus gentis regem, cum liberis, & uxore captum in profundiſſimum puteum præcipitavit. *Sab.l.8.c.4.*

LOTHARIUS rex, filius Theoderici regis Francorum, Brunichil-

nichildem reginam uno pede, & brachio mulctatam, ad cau- A dam equæ indomitæ religatam, membratim diſcerpi fecit: imputans ei, quòd decem reges per eum fuiſſent extincti. *Sigebertus*.

Theodericus rex Italiæ, Ibba Comite ſuo contra Francos miſſo, triginta hominum millia occidit, in vindictam necis Alarici generi ſui. *Sigebertus in Cron.*

Scleſvicenſes ob perfidè interfectum à Magno Nicolai Danorum regis F. Canutum patruelem, ad extremum etiam intromiſſum, militibus cæſis omnibus, ad extremum etiam interfecerunt. *Saxo l.13.*

Sub Carolo VI. Francorum rege Armeniacus Magiſter equitum in aula cum perpaucis, atque his novis hominibus dominabatur. In primis avaritiæ, & impotentiæ flagrabat invidia. E templis pecuniam ſuſtulit: quam ingentem, qui ſanctitate loci carior foret, Regina depoſuerat. Ea indignatione accenſa, cætera ſimul aulæ vitia cauſata, Turones ſeceſſit à marito rege, abducta etiam Catharina virgine filia: & Joannem Burgundionum ducem evocavit, qui valido exercitu non paucis receptis oppidis, Sequanam trajecerat, ſe prædicans omnium rerum, vectigaliumque, præterquam ſalis, B immunitatem afferre, ac miſeriarum omnium finem. Indies factio Burgundionis majores vires nanciſcebatur. Joannes Vilarius proditionē unius portæ urbem regiam noctu magna manu ingreſſus, eam, regemque, ac aulam omnem, Burgundionis arbitrii fecit, ægrè Delphino elapſo. Qui ducis inſigne non ſumebant, ii periclitabantur: id erat, crux obliquis radiis commiſſa, Andreanam vocant]. Philippus, per inſidias occiſi Joannis ducis filius, acerrimus necis paternæ ultor extitit. Rotomagum ſeptem menſium obſidione, fameque domitum Anglus receperat: cum eo dux fœdus icit, cunctaque prona ei ad victoriam reddidit. Urbem regiam, Carnutes, Tricaſſes, Regem, Reginam, Catharinam virginem, quæ omnia in poteſtate patris fuerant, & nunc in manu hominum ſuarum erant partium, ei incruenta victoria nullo negotio tradidit. Utque Delphinum, in quem mirum in modum excandeſcebat, à ſpe regni paterni excluderet, Lutetiæ voce præconis citandum curavit, dieque dicta abſentem pronunciavit indignum, qui ſuccedat in regnum, cujus fide in colloquium de pace deſcendens propinqua cognatione junctus dux, per fraudem circumventus, ac cæſus ſit. Prætereà in Tricaſſibus Catharina, patre, qui nec ſui, nec regni, C nec mentis, potens foret, nihil detrectante, nupſit Henrico, his legibus, ut rex gener, ſi ſocero regi ſuperſtes foret, liberique ex Catharina procreati, in regnum Franciæ ſuccederent: intereà rem Francicam adminiſtraret gener Anglus, rectorque Franciæ diceretur. Patri ſucceſſerat Carolus VII. & Henrico V. Anglo Henricus VI. infans. Duces Angli rem præclarè geſſere, ut de Franco rege actum videretur, niſi Joanna virgo Lotharinga divino afflatu arma pro Gallis cepiſſet, & dux Burgundus patriæ commiſeratione paci incundæ ſtuduiſſet, Anglorum relictis partibus. Ita indignatio Burgundionum, quæ ſumpta Anglos Franciæ dominos impoſuit, eadem depoſita Françōs ab externo dominatu vindicavit. *Æmilius l.10.*

S. Ericum regem Sueonum, proceres, ejus pietatem peroſi, facta cum Danis conjuratione ex inſidiis occiderant. Canutus Erici F. Carolum Svercheri F. qui regnum occuparat, quaſi & ipſe in patris cædem conſenſiſſet, interfecit. Svercerus Caroli filius poſt Canuti mortem rex factus: paternæ cædis vindicandæ gratia Canuti liberos partim trucidavit, partim in exilium ejecit. Quocirca Sueonibus exoſus, in bel- D lum civile incidit, & fruſtrà Danorum opibus ſuffultus trucidatus eſt à ſuis anno 1210. Ericus Canuti F. ab exilio revocatus regnavit. *Jo. Magnus l.19.c.11.*

Hacho, Amundi Svecorum regis F. cum fratres ſuos tres à Danis perfidè oppreſſos audiret, claſſe in Daniam feſtinans, celerrimo curſu per ſaltus, & nemora uſque ad regiam contendit. Nec accelerationi proſpera fortuna defuit. Nam primam, & ſecundam vigilum ſtationem ſuſpenſo, tacitoque itinere prætervectus, cum extremas ſylvarum latebras penetraſſet, juſſit abſciſſos arborum ramos ſingulos ſuorum manibus geſtare. Quod cum milites in tertia ſtatione conſtituti animadverterent, Sigaro regi nunciant, nemus ſuis ſedibus avulſum ad regiam properare. At Sigarus ex oraculo jam olim dato reſpondit, eo ſylvarum acceſſu ſibi extrema fata portendi: moxque militem contrahens, commiſſo prælio cæſus eſt. Hacho victoriam in crudelitatem vertens, nulli ſexui, aut ætati pepercit, regnumque Daniæ tam ſeverè oppreſſit, ut illud nequaquam ad tributum, aut ſubjectionem, ſed ad extremam deſolationem expugnâſſe videretur: nec quieviſſet, donec magnam ejus partem deſolatam reddidiſ- E ſent, niſi in eo conatu de obitu patris certior Sveciam rediiſſet. *Joan. Magnus l.7.cap.7.*

Atholici duo fratres, patris cædem ab Eugenio VII. Scotorum rege damnati veluti noctu, in regio cubiculo Spontanam reginam pro rege, qui nunc aberat, occidere. Pedibus in ſublime ſuſpenſi, à canibus ferociſſ. ad latera appenſis ſunt dilaniati. *H. Boethius l.9.*

Girozolani ruſtici Ferrarienſes, profligato Actii Eſtenſis exercitu, per Salinguerram Ferrariæ dominum fugientes inſecuti, Tiſolinum Tiſonis comitis Campiſamperii Patavini F. conſecuti, cum magni animi juvenis ruſticus ſeſe dedere nollet, multis vulneribus confecere ann. 1222. Ejus mortem Patavini biennio poſt Girozolæ incendio, & direptione tam crudeliter ſunt ulti, ut neque mulieribus, neque pueris pepercerint. *Bern. Scardeo l.4. claſſe 13. hiſt. Patavinæ.*

Alexandriæ (quæ urbs tranſpadana eſt in ciſalpina Gallia) Ludovico Sforcia Mediolanenſem ducatum adminiſtrante, cùm Petrus Veſputius Florentinus eques eo tempore tranſpadanæ oræ præfectus, vocata civium parte altera, repentè captum Carrantem Viſauvegiam molendinarium è F palatio ſuſpendiſſet, Carrantis Propinqui quinque numero manè palatium ingreſſi, præfectum interfectum è cubiculi feneſtra ſuſpenderunt, & mox profugerunt. *Fulg. lib.9. cap. 10.*

Anno Chriſti 1461. Cracoviæ oborta ſeditio, in qua Andreas Tencinius, vir vetuſtate, & claritate familiæ nobilis, concurſu, ac tumultu Cracovienſium in æde divi Franciſci trucidatus eſt: interfecti cadaver in forum tractum, pugionibus confoſſum, ambuſtaque barba, & capillis ludibrio habitum, & biduo in curia civitatis aſſervatum, tertia demùm die amicis ad ſepulturam redditum eſt, eò quòd Clementem fabrum armorum, quòd arma ſibi ad bellum proficiſcenti in tempore non perfecerat, bis pulſaſſet. *Cromerus libro 24.*

Carolo IIX. Galliæ rege, poſt ſubactum regnum Neapolitanum, celeriter Galliam repetente, Tuſcanellenſes calamitate inſigni affecti ſunt. Cùm enim rixa fortè exorta, Gallus lapide ictus cecidiſſet: Galli irati non ipſum quidem percuſſorem, ſed oppidanos omnes adorti, duce Baſtardo Borbonio magnam eorum partem crudeliſſimè trucidarunt, atque oppidum diripuerunt. *Jov. l.2. Hiſt.* G

Proceres Ungari, & propinqui Americi Cibachi Epiſcopi Varadinenſis, Aloyſium Grittum Venetum, cujus juſſu Americus obtruncatus fuerat, bello perſequuti, eadem talionis pœna affecerunt: atque in ejus cruore penulas militares ſolenni cæremonia more gentis intinxerunt, ut diù ſecum exactæ vindictæ memoriam deferrent. *Jov. l.32. Hiſt.*

Milon Belmuſius natione Mœſus, Hungarorum ducum haud poſtremus, fortè domi in Tibiſcienſi agro agebat. Itaque feſtum ſacroſanctæ Reſurrectionis diem celebraturus ad ædem divæ Virginis, divinis rebus peractis, ad epulas, & largiorem potum de more patrio convertuntur. Id cum Turcas non latuiſset, illius opprimendi capto conſilio, quoſdam in inſidiis locant, alios quadraginta tantùm equites progredi jubent, provocando, & ad latentes inſidias eliciendo Milone. Succedit Turcis ex voto ſententia, Chriſtiani etenim retrocedentes uſque ad inſidiarum locum inſequuntur, ut pro numero utriuſque partis atrox exoriretur prælium, pluresque Turcarum quam Chriſtianorum interficerentur. Verùm paucitate horum, vulnereque Belmuſii patris, & quod Belmuſius filius temerè in hoſtem invectus ceciderat, majo- H rem cladem Chriſtiani accepiſse viſi ſunt. Milon Turcarum fraude, ſuo vulnere, & filii morte ira inflammatus, ubi ex prælio domum reverſus eſt, omnes captivos Turcas, quorum non parvum numerum apud ſe habebat, è cuſtodiis eductos, crudeliter excruciatos interficit, atque ita ſeu dolori ſuo indulſit, ſeu antiquorum ritu, quem ſane pleriquc Illyrici, veræ religionis inſcitia, quibuſdam in rebus adhuc retinent, manibus filii parentavit. Nec contentus captivorum nece (nondum enim ira ex dolore concepta mente deceſſerat) ut primum per vulnus licuit, exercitu partim ex ſuis, partim ex amicorum militibus, ac clientibus coacto, hoſtium fines ingreſſus, agros latè populatus eſt, nihilque crudelitatis in hoſtes, quos caſus obtulit, prætermiſſum, non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercit. *Ludovicus Tubero l.6. Comment.*

Anno Salutis 1513. cùm Galliæ rex Ludovicus XII. Genuæ Imperium recuperare niteretur, etiam Aduniorum, & Fliſcorum ductu Genuæ immineret: Janus Fregoſius unà A cum Fregoſino fratre vix tantùm temporis, ut propriæ ſaluti conſulere poſſent, nacti, Ludovico altero fratre ad Caſtelleti cuſtodiam relicto, mari aufugerunt: victores autem Genuam ſunt ingreſſi. Ubi Fliſci fratres Ottobonus, & Sinibaldus ob fratris cædem, à Ducis fratribus factam, ultionis impetu impulſi, Zachariam ducis fratrem, qui in pugna in montibus commiſſa captus fuerat, & unà cum reliquis fratris cædi interfuerat, interfici, & deinde equi caudæ alligatum per totam urbem raptari crudeliter fecerunt. *Guicciardinus lib. 11.*

Insidias Intentatas.

Polyphontes rex fratrem interfecit, quòd ab eo inſidias, & mortem parari ſibi intellexiſſet. *Gellius l.4.c.*

Cùm Mithridates rex ſexaginta Gallogræcorum proceres, quos Pergamum evocaverat, contumelioſè & impotenter accepiſſet, ac proinde omnes offendiſſet: Toredorix valente vir corpore, & inſigni animo (tetrarcha fuit Thoſioporum) ſuſcepit Mithridatem, cùm pro tribunali in gymnaſio reſpon- B ſa daret, complexurum ſe, atque in præceps ſecum in hiatum daturum. At quia fortè eo die in gymnaſium non aſcendit, ſed domum ad ſe evocaverat Gallogræcos, bono animo juſſit eos eſſe, & ſimul atque congreſſi eſſent, ut undique eum adorti diſcernerent, ac necarent. Id clàm non fuit Mithridatem, ſed re delata omnes Gallos ordine imperavit jugulari. *Plutarchus de virt. mul.*

Sub Nerone duabus conjurationibus promulgatis, prior, majorque Piſoniana Romæ, poſterior Viniciana Beneventi conflata, atque detecta eſt. Conjurati è vinculis triplicium catenarum dixere cauſam: cùm quidam crimen ultro faterentur, nonnulli etiam imputarent, tanquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi urbe pulſi, enectique veneno, aut fame. Conſtat, quoſdam cum pædagogis, & capſariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere. *Suetonius.*

Titus Vespasianus Imperator, in præfectura prætorii ſuſpectiſſimum quemque ſibi, ſubmiſſis, qui per theatra, & caſtra quaſi conſenſu ad pœnam depoſcerentur, haud cunctanter oppreſſit. In his Aulum Cecinnam, Conſularem virum, C vocatum ad cœnam, ac vix dum triclinio egreſſum confodi juſſit. Sanè urgente diſcrimine, cùm etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendiſſet. Quibus rebus ſicut in poſterùm ſecuritati ſatis cavit, ita ad præſens plurimùm contraxit invidiæ: ut non temerè quis, tam adverſo rumore, magiſque invitis omnibus, tranſierit ad principatum. *Suetonius.*

Henricus VI. (à Niceta Ammericus dictus) ob crudelitatem quorundam inſidiis in Sicilia appetitus, eorum conatus cùm antevertiſſet, inſidiatores miſerabiliter excruciatos interfecit. Alium ferventi aqua excoctum in caniſtro pro miſſu ad ſuos remiſit: alium in ingentem rogum conjecit, alium culeo inſutum in fundum maris abjecit. Factionis principem, & regem delectum, graviori ſupplicio deſtinavit. Juſſit enim coronam æneam fieri, cum quatuor foraminibus, quam ejus capiti totidem magnis clavis affixit, atque ita hominem abire juſſit, his verbis: Habes homo coronam, quam venatus es: nemo tibi invidet, fruere uſque adeò deſiderata re. Is verò vertigine oborta humi prola- D pſus, paulò poſt in miſerabili illo diademate expiravit. *Nicetas lib.2. de Rebus Alexii Angli.*

Vulnera, Plagas, Verbera, Flagra, Tormenta.

Jasonem Theſſalum, Perſarum regi bellum inferre parantem, an ſatis juſta ultio abſumpſerit, ambiguæ æſtimationis eſt. Taxillo gymnaſiarcho à quibuſdam Juvenibus pulſatum ſe conqueſto permiſit, ut aut tricenas ab his drachmas exigeret, aut denas plagas ſingulis imponeret. Qua poſteriore vindicta uſo, qui vapulaverant, Jaſonem interfecerunt, animi non corporis dolore pœnæ modum æſtimantes. Cæterùm parvo irritamento ingenui pudoris maximæ rei expectatio ſuborta eſt, quoniam opinione Græciæ tantum in ſpe Iaſonis quantum in effectu Alexandri, reponebatur. *Valerius Max. lib.9. cap.10.*

Populus Romanus ad mortem ſtylis graphiariis Erixonem equitem in foro percuſſit, quòd ab eo filius nimis ſævè vapulaverat. *Fulg. l.9.c.3.*

Dagobertus, Clotharii II. Francorum regis filius, Auſtraſianos trans Rhenum duxit: utque indolem ſuam pa- E tri, gentique probaret, cum Bertario Saxonum duce, provincias Francorum urente, pugnavit. Grave in capite vulnus accepit. Capillum cruore infectum Auſtraſiani ad patrem detulere, Qua veluti regii inſignis dehoneſtati fœditate conſpecta pater ira percitus, ſuorum delectu habito in hoſtem ruit, dato (ut fertur) præcepto, ut procerioris ſtaturæ hoſtes enſi, quo quiſque pugnaret, æquarentur: eo etiam in pugnam exacerbatus, quòd nondum quinquaginta natus annos, ſed jam velut extrema canicie vetulum jumentum vocitari ſe ab hoſte audiſſet. Bertarius in acie cecidit, magna ſuorum ſtrage. *Æmil. lib.1.*

Nero Imp. quòd puer à Seneca præceptore verbera tuliſſet, eum mori coegit: data tamen mortis eligendæ copia, & res domeſticas componendi ſpacio. *Suetonius.*

Arcadius Imp. ab Arſenio virgis cæſus, percuſſorem in præceptorem ſubornavit. Is metuens inſidias, fuga ſibi conſuluit, eremita factus eſt. *Niceph. lib.12.c.23.*

Childericus II. Francorum rex, Bodillum virum inſignem, & nobilem ad palum ligandum, flagriſque cædendum juſſerat. Is conjuratione facta, dum ea ſylva, quæ ad Calam Pariſiorum F vicum eſt, rex venatur, illum ex inſidiis ad veſperam adortus interemit: idem continuò fecit utero gerenti Reginæ: uterque in æde D. Germani à pratis ſepultus eſt. *Chron. Francorum, & Fulg. lib.9.c.10.*

In Francorum regno apud caſtellum Radulphi, caſus accidit mirabilis. Dominator loci illius, quem olim exoculaverat, in caſtro quodam alebat, qui cùm ex diutina frequentia vias caſtri cunctas, turriumque gradus cordis oculo jam tenuiſſet, ſemel ita vindice opportunitate captata, puerum quendam caſtellani filium, quem unicum habebat, & hæredem, ad ſumma turris propugnacula ſecum adduxit. Stans igitur in alto, & clauſis intus oſtiis, ruinam puero parans, ad clamorem magnum, & mœrorem univerſos provocavit. Præcedens itaque pueri pater, & non mediocri dolore concuſſus, cùm filii redimere ſoſpitatem omnibus modis attentaſſet: reſponſum, accepit, niſi per partium inferiorum mutilationem, quam, & ſibi intulerat, nullatenus fieri poſſe. Ipſe verò multis ante fruſtra allegatis, demum hoc conceſſo, quaſi præciſis illis, cum lugubri circumſtantium clamore, ictum in trunco fieri fecit. G Cæcus autem graviores anguſtias ubi ſentirent, cum requiſiviſſet, & reſponſum audiret, quoniam in renibus, falſum eſſe proclamans, puerum iterùm præcipitare paravit. Ictu itaque denuò dato, & anguſtias ſibi in corde majores eſſe reſponſo, dominum arguens falſitatis, puerum ad præcipitium exportavit. Tertiò verò genitum, ut redimat genitor, inſtrumenta gignendi verè præcidit: & cum in dentibus ſe ſentire dolorem proclamaſſet: verùm, inquit, ille, quia experto credendum, & injurias ultus ex parte mortem mitius aggrediar: & tu de cætero nec alium gignes, nec iſto gaudebis: eòque dicto exiliens ab alto, ſe cum puero præcipitem dedit. Et ſtatim in ima corruens, membris minutim confractis expiravit uterque. Miles autem pro anima pueri monaſterium, quod adhuc extat, & de doloribus dicitur, ibidem conſtruxit. *Sylv. Gyraldus l.1.c.2. Itiner. Cimbriæ.*

Galeacius Sforcia, dux Mediolanenſis, cùm à Cola ſive Nicolao Montano pædagogo puer vapulaſſet, poſtquam ad Imperium evectus eſt, totidem plagas nudis natibus ei rependi, ſe inſpectante, juſſit. Quæ injuria effecit, ut Cola tres ex ſuis diſcipulis præſertim verò Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. *Jovius in Galeacii elogio:* H

Cùm auriga Michaelis Temrucovicii, ſoceri magni Ducis Moſcoviæ Joannis Baſiliadis, aurigam Ducis oborto jurgio graviter vulneraſſet: Dux continuò re audita, ſatellites ſuos in curiam ſoceri ſui miſit, ut tres ſervos illius primarios in foribus laqueo ſuſpenderent, ita ut omnes ex domo exire, & in domum intrare volentes, ſubter ſuſpenſos ambulare duabus hebdomadis cogerentur. *Alex. Guaguinus in Moſcovia.*

FORTUNAS. INJURIÆ
Ultio illatæ per
Litem Contra Se Datam,
vel ſaltem intentatam.

Dominicus Albenſis propoſitus Budæ, abſente rege Ungariæ Uladiſlao jus dicens, Laurentium magnum virum fortem, ob controverſiam inter ipſum ſocerum ſuum natam, in villa ejus, quæ in Peſtano agro ſita erat, adeò immaniter

obtruncavit, ut uxor ejus, cum interiore tantùm tunica Budam timore exanimata confugeret : bona ejus ſeveriſſimè in publicum redacta, & fiſco adjudicata ſunt. *Bonfin.l.5.Dec.5.*

Robertus Atrebatium Comes genuit ex ſe Philippum, & Mathildem. Hæc nupſit Othonis Burgundiæ comiti. Ille ante patris obitum vita exutus, reliquit Robertum filium. Exin Ruberto comite, in pugna Curtracenſi, cum Flandro facta, interfecto, Philippus pulcher rex, Atrebatium comitatum Othoni Mathildis viro dedit, tametſi reclamante Roberto, hæreditatem à Roberto avo paterno, & divino, & humano jure ſibi competere. Sed vis plus valuit, ſic ut judices poſteà de re controverſa cognoſcentes, regis præjudicium ſecuti, contra atque jus poſcebat, ſecundùm Mathildem ſententiam tulerint. Qua injuria motus Robertus, uxore ac duobus filiis Joannes, & Carolo relictis, ad Edovardum III. Anglie regem profectus eſt : à quo honorificè, & acceptus, & habitus, nec non Richemondiæ comitatu donatus, impotentis vindictæ cauſa funeſtiſſimum illud toti Galliæ bellum Anglicum excitavit. *Æmilius l.9.& Polyd.l.19.*

Lis fuerat Vernero Plocenſi apud Polonos Epiſcopo cum Boleſta quodam, viro præpotenti, & feroci, de Carſco pago, quem hic Eccleſiæ ademerat. In jus autem ab Epiſcopo vocatus Boleſta, cauſa excidit. Ira itaque excandeſcens, Prutenos quoſdam ſicarios cum fratre Benaſlo ad villam Biſcupice, ubi Epiſcopus commorabatur, mittit : qui noctu effractis foribus ipſum ſecurè dormientem cum fratre Benedicto, Benedictinę profeſſionis monacho, trucidarunt. *Cromerus l.6.*

Carolus Borbonius, Galliæ regulorum opulentiſſimorum ſanguine conjunctus regiæ domui, duxerat uxorem ex ſorore Caroli IIX. regis genitam : unde ei dotali nomine Borbonii principatus acceſſerat : ea mortè ſublata, & ob id, cum ſocru contracta ſimultate, ad Heleonoram Cæſaris ſororem oculos adjecit. Interim Ludovica Franciſci regis mater, quod ex eadem Borboniana domo maternum genus duceret, non ambiguo jure ea oppida, quibus Carolus Borbonius hæreditate crevisſet, conteſtata lite repetebat. Qua injuria offenſus Borbonius, apud eam conqueri cœpit, rogareque, ut matrem compeſceret. Rex eum bono animo eſſe jubet. Sed priori malo alia contumelia acceſſit, quòd cùm ad Valentianum oppidum Franciſco regi contra Caroli V. exiguas copias confligendum eſſet, & primæ aciei cura ſibi, ut magiſtro equitum debita, Alenconio regis ſororis marito attribueretur : id adeò iniquo tulit animo, ut cum paucis, & iis quidem nobiliſſ. hominibus adversùs regem conjuraverit. Ea verò conjuratione detecta, noctu profugiens ad Cæſarem defecit. *Jovius in Piſcario, & lib.22. Hiſt.*

Arces Traditas Alteri.

Mitridates à Cn. Pompejo ad ultima regionis pulſus, filium Xiphacem (alii Atriaritem ſcribunt) occidit, in Stratonices matris invidiam, quæ cum Pompejo priùs pacta filii ſalutem, arcem Romanis tradiderat munitiſſimam, ubi præter regios theſauros, Mithridatis commentarii reperti ſunt, quibus venenorum multiplex, medicamentorumque continebatur ratio. *Sabell.lib.4.Enn.6.*

Terra eſt advocatorum non longè à Saxonia ſuperiore, quam Henricus I. Romanorum rex, ſubiecit monaſterio dominarum in Quedelenborg. conſtituens quatuor per terræ angulos totidem advocatos nobiles, qui Barones dicuntur, de Wida, de Ghera, de Ruſſe, de Plauve. Carolus IV. Imp. anno 1364. egit cum tribus, ut arces ſuas inexpugnabiles ſibi concederent. Quartus id ægerrimè ferens, Rutenus de Plauvis, cùm ſciret tres ſuos collegas unà conveniſſe in horreo quodam, firmitatis undique clauſtris igne injecto illos concremavit, pœnam ſumens tranſgreſſæ (ut dicebat) fidei. *Crantzius l.9. Saxoniæ c.33.*

Prædia Erepta.

Hercules Eſtenſis Ferrariæ dux, Ludovico Sforciæ Mediolanenſium principi genero ſuo auctor fuit, Caroli IIX. Gallorum regis contra Aragonio evocandi, nimirum ut pernicioſo conſilio generi improbitatem ulciſceretur, qui in pace inter ſe, & Venetos tractanda, Poliſenum fertiliſſimam regionem Venetis adjudicaſſet. *Guicciard.l.1.*

Muro ſepiebat ingentes fundos Galeacius Vicecomes, juxta Papienſem arcem, ut eis ad venationem alere feras poſſet, cùm autem eo muro poſſeſſiones Bartholini Siſtri civis Papienſis incommodè dividerentur : Bartholinus, cum Galeacio queſtus, etſi optata non retulerat, tamen aliquot dies rem patienter tulit. Cæterùm cùm poſteà indies damnum gravius appareret, quod diviſa poſſeſſio ſecum ferebat, ad Galeacium rediit, qui in Papienſi foro equo inſidens ſubſtiterat, ac modeſtè inter cætera dixit : Si hoc ipſum incommodo afficeret, quid tandem tot filiabus, quas jam nubiles habebat agendum foret? Galeacius iracundiæ plenus : Si neſciret, inquit, quo alio eis modo conſuleret, illas ad proſtitutarum cellas mitteret. Hoc dicto pudicus civis excanduit, & in furorem, rabiemque verſus, pugionem, quem ferebat, ſtrinxit : arbitratuſque Galeacii ſe pectus petere, in zonæ fibulam gladii mucronem impegit : qui inde delapſus, coxam perfodit, neque multò pòſt Bartholinus occiſus fuit. *Fulgoſus l.6.c.1.*

Equos Ereptos.

Ardoinus Lombardus, ſpectatæ virtutis, atque ingentis animi vir, à Ducliano Græci Imp. Catapano, grandi data pecunia Candidati honore affectus, & oppidis quibuſdam Apuliæ præpoſitus fuerat. Is cum in Sicilienſi expeditione Saracenum quendam in Sicilia proſtraviſſet, inſignem, ejus equum quem ſibi pugnans pepererat, à Maniaco Catapano, Ducliani præceſſore, impetrare non potuit, verùm eo cum dedecore ſpoliatus eſt. Hujus ulciſcendæ injuriæ cupidus, conſilium eripiendæ Græcis Apuliæ cepit. Itaque ſimulato voti cauſa Romam itinere, Averſam ad Ranulfum comitem, genere Normannum, ſe contulit, atque ejus animum ad Apuliam invadendam accendit : effeminatos appellans Græcos, terram opulentam : Normannos jam numero, armiſque præſtantes, turpe eſſe, exiguis parvi, atque obſcuri oppidi finibus eſſe contentos. Conſilio comprobato Ranulfus ſtrenuos ei duces duodecim cum trecentis militibus tradidit, pactus, ut quæcunque occuparentur, æqua inter omnes ſorte dividerentur. Quibus rebus ſacramento firmatis, repente omnes impetum in Apuliæ fines fecerunt, atque imperata omnia nacti, Melfin totius Apuliæ clauſtrum, atque inde Venuſiam, Aſculum & Labellum haud magno certamine occuparunt. Hoc initium Normannorum principatus in Apulia. *Sigonius l.8.regni Italici.*

Feras Occisas.

L. Domitius prætor Siciliæ, illum, qui ſibi dono aprum attulerat, cruci affixit : cùm comperiſſet vi teli feram captam, quod anteà per edictum vetuerat. *Val.Max.l.6.c.3.*

Ferdinandus rex Neapolitanorum, eos, qui cervum, aprumve furtim, vel palam occidiſſent, alios manibus mutilavit, alios ſuſpendio affecit : agros quoque ſerendos interdixit dominis, legendaſque aut glandes, aut poma, quæ ſervari volebat in eſcam feris, ad venationis ſuæ uſum. *Pontanus lib.de immanit.c.14.*

Munera Denegata. Aversa.

Fama tenet, Æſopum in Græciam commeaſſe, cum argento, quod à Crœſo acceperat, ut ſacrum Apollini ſplendidè faceret, ac Delphis in capita divideret minas quaternas. Cùm autem rixa ei, & contentio interceſſiſſet, cum civibus, ſacrificium quidem perpetravit, ſed nummos Sardeis remiſit : quod Delphos ille, qui donum acciperet, haberet indignos. Hi fabricato in eum ſacrilegii crimine, hominem de rupe illa, quam Hyampiam dicunt, præcipitem egerunt, & interemerunt. Hinc perhibetur infenſum eis Apollinem ſterilitatem inflixiſſe, atque horrendorum morborum omne genus : ut peragrantes omnes Græciæ celebritates pronunciarent, & invitarent quemlibet, cui cordi eſſet, ut Æſopi cauſa ab ipſis pœnas repeteret. Tertia demum generatione venit Samius Idmon, ab Æſopi familia prorſus alienus, tantùm ſtirps eorum, qui Sami fuerant, eum mercati. Huic ſupplicia aliqua Delphi, cum præbuiſſent, calamitatibus illis exempti fuerunt. Hinc ſacrilegorum piaculum in Naupliam ab Hyampia fuiſſe ajunt translatum. *Plut.de tarda Dei vindicta.*

Octavianus Ubaldinus Cardinalis in Galliam profecturus Mediolani à Martino Turriano ſuſceptus, cum in templo D. Ambroſii carbunculum mirabili fulgore, & rara magnitudine conſpicuum vidiſſet, eumque cupidè inſpiciendo omnino dignum videri, diceret, qui ad ornamentum ſacrorum ſolemnium, in ſumma Pontificis Maximi thiara conſpiceretur : à Martino armato illic accurrente intactum relinquere coactus, ſic in Turrianos exarſit, ut Othonem Vicecomitem Archiepiſcopum Mediolanenſem in excidium Turrianæ domus animare non deſierit. *Jovius in Othone.*

Æs

Æs Alienum Interversum.

Romanorum crudelitatem contra debitores compendiosè perſtringit *Cælius l.12.c.20. A. L.ex Gellio.*

Creditorum conſternatio adverſùm Sempronii Aſellionis prætoris urbani caput intolerabili modo exarſit. Quem, quia cauſam debitorum ſuſceperat, concitati à L. Caſſio tribuno plebis pro æde Concordiæ ſacrificium facientem, ab ipſis altaribus fugere extra forum coactum, inque tabernacula latitantem, prætextatum diſcerpſerunt. *Val.Max.l.9.c.7.*

Furto Ablata.

Tiberius Imp. militem prætorianum, ob ſurreptum è viridario pavonem, capite punit. *Suetonius.*

C. Caligula Cæſar Romæ publico epulo ſervum, ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circunduceretur. *Suetonius.*

Mahumetes II. Turcarum rex, cùm in hortis, quos Conſtantinopoli in deliciis habebat, deeſſet pomum in arbore cedro, quod paulò antè inſpexerat, animadvertiſſet : arbitratus proculdubiò, unum è tribus pueris quos ſecum habebat, pomum decerpſiſſe, quòd in hortis præter eos alius nullus fuerat : quia quilibet ipſorum ſe pomum decerpſiſſe negabat, juſſit, ut ferro eorum pectora aperirentur : & niſi in primi, cujus apertum fuit pectus, ſtomacho fuiſſet inventum, dubium non erat quin ad omnes ipſos ea pœna tranſiiret. *Fulg. lib.9. .2.& Egnat.l.9.c.2.& Sab.l.9.c.3.* qui non cedri fructu, ſed binos pubeſcentes cucumeres huic crudelitatis occaſionem dediſſe refert.

Colonus quidam Secretario magni Ducis obtulerat lucium maximum. Ibi tum Monachus, qui ſimulates alebat cum Secretario, eum apud Joan. Baſiliadem Moſchorum tyrannum accuſavit, quòd in regiis lacubus magnos tantùm piſcaretur, & cum ſuis devoraret. Ergo Secretarium ad ſe evocatum, nulla data facultate ſe defendendi, manibus, pedibuſque vinctum, in lacum profundiſſimum coniici juſſit, cum hiſce verbis : Qui tot piſces ſolebas piſcari, abi nunc, & quibuſcunque volueris veſcitor. *Alex. Guagninus in Moſcovia.*

Timotheus Maſalski, Lituanus nobilis, bello captus à Moſchis cuſtodiebatur. Cùm Joan. Baſiliades magnus Dux Palatinum Moſchoviæ Joannem Piotrovicium, inſolentem è medio ſuſtuliſſet, quidam ex famulis animadvertens fortunas domini ſui miſerè diripi, clàm accepit elegantem loricam inauratam, eamque ſociis ſuis ſervandam tradidit, qui eodem in carcere erant, ubi & Timotheus Maſaiski. Illi eam oppignorarunt Timotheo, hic verò ſervandam dedit famulo ſuo. Famulus, deferens loricam in hoſpitium, à vigilibus capitum Præfectus carceris loricam ſibi ſervavit. Id cum animadvertiſſent duo ex ſclopetariis, rem conſiliariis detegunt, conſiliarii magno duci indicant. Is confeſtim jubet extrahi è carceribus Timotheum commentarienſem, item & duos Moſcovitas, qui pignori illi dederant hanc loricam : duos quoque ſclopetarios, qui iſtud detexerant. Poſt dira tormenta quatuor aquis ſubmerſi, Timotheus & commentarienſis vincti in urbem miſſi, in vigilia Paſchatis capite truncati, & in aquas conjecti. *Idem.*

Imperii Insidias, Regni Affectationem.

Polyſpergontis auxilio (poſt Antipatri ocium) Olympias ab exilio reverſa, in poteſtatem redegit Eurydicem, cum Philippo, qui Aridæus dictus eſt, Philippi Amyntæ F. & concluſis in exiguo loco ipſorum corporibus, per anguſtum receptaculum neceſſaria ſuppeditabat. Poſt multos verò dies Philippum quidem, qui fuerat rex ſex annos, & menſes quatuor, quibuſdam Thracibus excarnificandum tradidit. Eurydicem autem inſoleſcentem, ac vociferantem ſibi magis convenire regnum quàm Olympiadi, judicavit dignam majori ſupplicio. Miſit itaque ad eam gladium, laqueum, & cicutam, optione propoſita, quo nam iſtorum vellet uti ad mortem. Eurydice comprecata Deos præſentes eo, qui illa attulerat, ut Olympiadi talia dona evenirent, virum obvelavit, curatis ejus vulneribus, uti tempus patiebatur : Deinde cum ſe cingulo ſuſpendiſſet, finiit vitam, neque lacrymis deploravit ſuam fortunam, neque abiecta eſt magnitudine calamitatum. Olympias his ſublatis ſuſtulit Nicanorem fratrem Caſſandri, invertitque tumulum Jollæ pincernæ, ulciſcens, ut ipſa dixit Alexandri mortem. Delegit autem Caſſandri amicorum illuſtriſſimos centum Macedones, quos omnes mactavit. In ejuſmodi autem iniquitatibus explens ſuum animum, fecit ut ſtatim multi ex Macedonibus odio haberent ejus crudelitatem. Omnes enim memores erant verborum Antipatri, qui velut oraculo prædicens, in morte cohortatus fuerat, ne unquam permitteretur mulieri præeſſe regno. *Diod.lib.19.*

Olympias Caſſandri adventu perculſa, diffiſaque Macedonibus, quos certo ſciebat, cum fortuna fidem mutaturos, cum Hercule Alexandri filio, quem ex Barſane tulerat, haud multò poſtquam in Cilicia proſpero marte pugnavit, & cum Roxane nuru in Pictuam urbem conceſſit. Secutæ eam abeuntem Deidamiæ Æacidæ regis filias, & Theſſalonice, & ipſa clara Aridei patris nomine, ibi à Caſſandro obſeſſa, & immiſſis percuſſoribus interfecta eſt. Poſt Caſſander Theslalonicem Aridei filiam ſibi uxorem junxit. Alexandri filium cum matre in Amphipolitanam arcem cuſtodiendos miſit. Nec multo pòſt, Alexandri filium, jam quatuordecim annos natum, cum Berſane matre occultè interfecit, veritus ne Macedones Alexandri memoriam ſecuti, puerum adoleſcere incipientem, in avitum, patriumque regnum reſtituerent. Addiditque ſcelus ſceleri. Roxane, cum altero Alexandri filio haud multò pòſt pari fraude interfecta. Adeò nihil in regia ſtirpe reliquum eſſe voluit, quod regno male parto formidoloſum eſſet. *Sabell.lib.7.En.4.*

Antigonus Antipatri F. Tetrarcha, in Judæam à Pacoro rege Parthorum reductus, Hyrcanum patruum regem, & Phaſaelum Ariſtobuli F. vinctos accepit. Veritus deinde, ne populi favore Hyrcanus in regnum reſtitueretur, qui à Parthis aſſervabatur, amputavit ei auriculas : hoc agens, ne ille propter hoc vitium ad recipiendum Pontificatum eſſet idoneus, quando lex hunc honorem non concedit, niſi ei, qui integro ſit corpore. Phaſaelus ubi ſe neci deſtinatum cognovit, capite ad ſaxum alliſo ſemetipſum interficere voluit. Antigonus ſubmiſſis medicis ſub ſpecie remedii venenum vulneri indidit. *Joſephus lib.12.c.25. Antiq.*

Decretum erat Herodi Judæorum regi, recepta prophetici carminis opinione, & quod à Magis fuiſſet deceptus, omnes pueros nuperrimè ortos perdere. Cæterùm Ariſtobulo, & Alexandro filiis eum ſævitiæ apud Auguſtum accuſantibus, tamdiù deſtinatum ſcelus diſtulit, quoad ſit Roma reverſus. Tum primùm omnium à quibus fuerat oppugnatus, & cum quibus in gratiam parum ſincera fide redierat, in Cæſarea laqueo necavit : inde ad puerorum cædem converſus, qui eo fuerant biennio natis (tantùm ferè temporis ab Chriſti ortu interceſſerat) ex compoſito trucidavit, homo ad ſævitiam natus : qui dum nulli parcendum putat, in infantis filii cædem imprudens incidit. Quæ res materiam præbuit Auguſto principi in vetus gentis inſtitutum cavillandi, ut dixerit : ſatius fuiſſe Herodis eſſe porcum, quàm filium : nam Judæi ſuilla carne veteri lege abſtinent, abhorrentque uſque adeò, ut ne alant quidem id animal. *Sabell. lib.1. En.7.*

Severus Imp. victo ad Lugdunum Albino, præmiſſo in urbem capite Albini abſciſſo, juſſoque publicè patibulo præfigi, uti exemplum cæteri caperent, quid item ipſis patiendum foret : ordinatis Britanniæ, Galliæque rebus, ſumptoque ſupplicio de Albini amicis, qui illic erant. Romam cum omni exercitu, quo terribilior eſſet, proficiſcitur. Albini amicos crudeliter punivit, bona publicavit, ærariumque auxit, quęſtui ſupra quàm dici poteſt addictus. Quos autem, & quot occiderit conſulares, prætorioſque viros, ac ſenatorii ordinis, latiſſimè Spartianus recenſet. Imperium metu potiùs, quam benevolentia retinens, ut eſſet Imperator verus nominis ſui, verè pertinax, verè Severus. Quamquam popularis eſſe in primis volebat. Guſpinianus. Legiones miſit, quæ Byzantium obſiderent : eo enim Nigri duces confugerant. Capta urbs eſt fame, tota everſa : & theatris, & balneis omnique ornatu, & honore privata, in Pagum redacta, & Perinthiis dono data, ſicut & Antiochia Laodicenſibus. Cùm Severum Byzantini cum oleagenis ramis celebrarent, ſalutemque peterent, ſeque excuſarent, cædibus quidem abſtinuit : ſed denuò Perinthiis eos ſubiecit. *Suidas.*

Constantius Imperator, cùm eſſet in negotiis aliis principibus mediis comparandus : ſi affectatæ dominationis anſam quandam falſam reperiſſet, aut levem, hanc ſine fine ſcrutando, faſque eodem loco ducens, & nefas, Caligulæ, & Domitiani, & Commodi immanitatem facilè ſuperavit : quorum

æmulatus ſævitiam inter imperandi exordia, cunctos ſanguine, & genere ſe contingentes ſtirpitus interemit. *Marc. lib.*21.

Conſtantinopoli altercatio Venetæ, & praſinæ factionis ſuborta eſt: quam dum ſedare Phocas, qui tyrannidem occuparat, interetur, effecit, ut cùm tribunus Venetorum contumelioſis dictis afficeretur, magna pars populi id ægrè ferens exclamaret: Abſiſte, & ſtatum rerum conſidera, nam Mauricius adhuc vivit. Quibus verbis inflammatus tyrannus, ad necem principis in Chalcedonis urbis è regione Byzancii portum, Eutropii dictum, quò confugerat Mauricius, cum uxore liberis, & omni familia, dicto citius adnavigavit. Et comprehenſo Principe, ac tota familia, primùm in conſpectu Principis reginam Auguſtam, treſque ejus filias, tum filios interfici juſſit. Quibus niteremptis, exclamavit Mauricius: juſtus es, domine, & recta judicia tua: forti animo præferens tantam calamitatem, quam avaritia, & crudelitate erga XIIM. militum à Chagano captorum exercuerat, ſibiipſi conciliavit. Cùm filius ejus noviſſimus, infans adhuc, ad pœnam poſceretur, quem lactentem nutrix occuluerat, filium ſuum pro alumno ſubiiciens, Princeps ſuum proferri juſſit. Ipſe demum incredibili animi magnitudine mortem ſubiit, ſecuri obtruncatus. Poſt ea Phocas pro Theodoſio ad Coſroen miſit, & occidi fecit. Sic tota domus cum Principe cæſa eſt, omneſque ſepulti ſunt in æde S. Mamantis propè murum extructum à Pharaſmane eunucho, Juſtiniani cubiculario. *Cuſpinianus.*

Remus, & Romulus Martis, & Sylviæ filii, Amulium per inſidias aggrediebantur. Tumultus ab arce in urbem perferebatur. Numitor conſcius, quid fieret, ad cives dixit, hoſtilem aggreſſionem eſſe, Amulium urbe prodita fugiſſe. Sed, inquit, armati in forum conveniamus. Civibus ſe armantibus, Remus, & Romulus Amulio ſublato, ex arce exilierunt: & congregatis civibus renunciarunt, quinam, & quo damno affecti, aut injurias perſecuti eſſet. Populus factum collaudans, Numitori regnum tradidit. *Polyæn.lib.9.*

Juſtinianus II. cùm ope Trebellii Bulgarorum regis, noctu per aquæductum Conſtantinopoli potitus eſſet, Heracleum Apſimari Imp. qui Leontium imperio dejecerat, fratrem, cum pleriſque aliis ex ſublimi ligno propè mœnia ſuſpendit, interfecta magna multitudine civium. Apſimatum & Leontium, à quo ipſe ejectus fuerat, è vinculis eductos, per forum, & theatrum ſimul, junctos rapi ab equis, atque ad ejus pedes detractos, cum cervicibus preſſis calcaſſet, in Cynegeppio, ſpectante populo, interfici juſſit. Callinicum antiſtitem, qui in Leontii partibus fuerat, luminibus privatum Romam relegavit: in cujus locum Cyrum Abbatem Conſtantinopolitanum fecit antiſtitem, cujus liberalitate in Thracia exul adjutus fuerat, & alitus, inque recuperando imperio confirmatus. Indulſit inde Juſtinianus nimium dolori ſuo, utpote qui Leontii odio, quoties truncas emungebat nares, unus aliquis, qui in ejus fuiſſet partibus, è ſympoſio ad ſupplicium rapiebatur. Cùm exercitus ad Philippicum defeciſſet, Heliæ Protoſpatharii opera, Juſtinianus Heliæ filios in ipſo matris ſinu interfici juſſit, eamque matrimonio junxit ſervo ipſius coquo, qui erat Jndus. Fugiens Damartyn, à ſuo deſertus exercitu, Heliæ manibus capite truncatus eſt. *Cuſpinian.*

Michael Balbus Imp. capto Thoma regni æmulo morem ab Imperatoribus uſurpatum ſervans, eum porrectum in pavimento jacere juſſit, cervicemque ejus pedibus ſuis calcavit. Tum pedibus, manibuſque mutilatum, aſino impoſitum, ſpectaculi loco per caſtra circumduci juſſit. *Cedrenus.*

Henricus VI. Imperator à Celeſtino III. Pp. Conſtantiam Rogerii filiam, monacham in uxorem, & regnorum Siciliæ, & Neapolis dotale jus ab eodem accepit, ut Conſtantiæ fratrem Tancredum, quem Siculi regem fecerant, deiiceret Mortuo Tancredo: Henricus Gulielmum V. Tancredi filium cepit, caſtravit, cum tribus ſororibus in Germaniam deportavit, proceres regni excæcavit, ſic ut clariſſima Normannorum familia Henrici ambitione ſit extincta. At crudelitatis hujus pœnas Conradinus Henrici abnepos Carolo Andegavenſi cum fœnore dedit, à quo captus, & immaniter trucidatus, nobiliſſimæ familiæ Suevorum colophonem impoſuit. *Collenutius lib. 6.hiſt.Neapolit.*

Henricus VI. Imp. Jordanum nobilem Siculum regni æmulum in Sicilia ceperat, Conſtantiæ uxori ſupra modum acceptum. Juſſit ergo coronam æneam fieri, cum quatuor foraminibus, quam ejus capiti totidem clavis affixit, atque ita hominem abire juſſit, his verbis. Habes homo coronam, quam venatus es, nemo tibi invidet; fruere uſque adeò deſiderata re. *Nicetas lib.2. de geſtis Alexii fratricidæ. Crantzius in l.7. Metrop. c.71.* captum in ſedem ferream collocatum ſcribit, & coronam ignitam clavis ferreis capiti ejus affixam. Quendam etiam Richardum per plateas tractum, ſuſpendio necatum, qui Imp. juſſu Conſtantiæ veneno tollere voluerit.

Mariam Hungariæ reginam cum accepiſſet uxorem Sigiſmundus Imperator, principum regni concilium apud Budam actum eſt. In eo regina perfidiam regulorum accuſavit, qui ſe regno ſpoliare conati eſſent. Tum Sigiſmundus unà cum judicibus cauſa cognita, duos, & triginta regulos ſecuri percuſſit. Quæ res multorum deinde laborum, & diſcriminum cauſa fuit. *Æneas Syl.l.3.com.in Panormita.*

Joan. Pitrovicius Palatinus Moſcoviæ falsò delatus, quaſi tyrannidem affectaret, fortunis omnibus exutus, pedes contra Tartaros militare coactus, à Joanne Baſiliade magno Duce diademate, & ſceptro inſignis in throno regio collocatur: princeps eum magnum Ducem, & monarcham Ruſſiæ ſalutat: ſed penes quem te creandi poteſtas fuit, inquit, penes eundem quoque te de gradu diſiiciendi poteſtas erit, & mox pugione pectus ejus repetitis ictibus confodit. Principis exemplum imitantur aulici, Cadaver in foro ludibrio omnium exponitur. In ſtirpem, gentem atque ſervos ejus crudeliter ſævitur: ſubditi omnes ferro, flamma, & aqua graviter affliguntur: ne jumentis quidem parcitur: virgines, & uxores conſtuprantur: plebejæ nudæ pelluntur: uxor Piotrovitii cœnobio includitur. Anno Salutis 1568. *Alexander Guaguinus in Moſcovia.*

Irrisionem.

Cùm Gedeo Madianitas perſequeretur, acie à ſe victos, atque in fugam converſos, ipſeque ad urbem Soccoth perveniſſet: pro petitis commeatibus ab ejus urbis populo per contumeliam irriſus eſt. Cùm autem confecta expeditione inde reverteretur, Soccoth urbem prælio adortus, in poteſtatem redegit, ac ſeptuaginta Soccothinorum civium, primarios viros, in torcularibus, inter tribulos, ſpinaſque novo, crudelique pœnæ genere oppreſſis: atque hujuſmodi ſupplicio egit, ut ita, quæ alioquin in Soccothinorum gentem juſta erat, jam propter tormenti crudelitatem damnanda videretur. *Ful.lib.9. cap.2.*

Achilles, cùm bello Trojano Pentheſileam Amazonum reginam interfeciſſet, fortitudinem, & formam ejus admiratus, lugere eam cepit fortiſſimus, & pulcherrimus heros. Therſites verò deformiſſimus, & timidiſſimus homo Achillem lugentem irridens, mollitiem ejus obiiciebat. Achilles iratus, pugno Therſitem interfecit. *Euſtathius illiad β.*

Cambyſes rex Perſarum, cùm contra Æthiopes Macrobios exercitu ducto, magnam partem militum inedia amiſiſſet, & Memphim reverſus, omnes Ægyptios feſtum diem agere propter Apis apparitionem vidiſſet: ratus id in ſuam fieri contumeliam, quaſi inſultarent ei ob rem malè geſtam, ſacerdotes flagellari, Ægyptios feriantes interfici curavit, ipſe gladio Apim lethaliter vulneravit. *Herod.lib.3.*

In prælio captum Theocritum Chium, cùm ad Antigonum regem deducentes hortarentur, ut bono eſſet animo, fore, ut cum ante Antigoni oculos conſtitueretur, veniam impetraret. Ille in tanto periculo poſitus, à dicteriis abſtinere non potuit. Itaque ſi ita eſſet, de ſe actum eſſe, dixit: ſi quidem alterum Antigonus tantùm haberet oculum. Cujus verbi acrimonia motus Antigonus ſtatim eum interimi juſſit. *Fulgoſ. lib.8. capite* 1.

Pantaleon in Arſinoen Lyſimachi uxorem vomere ſolitam hunc torſit verſiculum:

κακῶν κατάρχεις, τὼ δ' ἐμέσαν ἀσάγων. *id eſt,*
Dominare pravis, qui hanc vomentem induxeris.

Quod ubi reſcivit Lyſimachus, in muſtelæ cavea incluſit hominem, & tanquam feram circumduci juſſit, quoad viveret. *Plutarch.*

Aſiaticus quidam legatus Romam miſſus, lectica ferebatur per agrum Venuſinum. Bubulcus quidam per jocum rogavit, Num mortuum in lectica ferrent? ille ſtatim lecticam deponi, & ſtuppis, quibus deligata erat, uſque adeò verberari juſſit, dum animum efflavit. *Gellius lib.10.c.3.ex.C.Gracchi* oratione recenſet.

Antoninus Caracalla Alexandriam petiit, ut totam civitatem Alexandrini, ut ſunt natura dicaces, multa in Severum patrem, mox in Caracallam dicteria jacerant. Ea re Caracalla offenſus, poſteàquam Alexandriam venit, cùm ejuſmodi multa in eum etiam præſentem jacerent, ne fratris quidem de cæde diſſimulata, matremque Jocaſtam appellarent, & quòd tam parvæ ſtaturæ homo Achillem, & Alexandrum æmularetur, dum ſe jocari putant, ſibi exitiale odium conflarunt. Ille enim, ut natura erat iracundus, maximèque ſanguinarius, per ſpeciem delectus habendi, omnem Alexandrinorum juventutem juſſit in apertum egredi, ut delecto omnium flore alteram phalangem in Alexandri memoriam legerent. Tum læta civitas in apertum egreſſa, dum intenta negotio eſſet, quod de induſtria aſſimulabatur, ab armato exercitu circumventa eſt. Datoque repentè ſigno, ad unum juvenes, cum parentibus, neceſſariis, qui ad id ſpectaculum exierant, trucidati ſunt, tanta vis hominum cæſa dicitur, ut ſanguinis rivi media planitie in Nilum defluxerint. Et Alexandrini ſuæ dicacitatis in hunc modum pœnas luere. *Sab. lib.5.Enn.7.*

Heliogabalus Alexandriam perrexit, urbis Alexandri deſiderium cauſatus. Quam cum omni exercitu ingreſſus, ſic eſt ab Alexandrinis ſuſceptus, ut nemo unquam Imperator. Ad Alexandri monumentum, cùm veniſſet, chlamydem, quam geſtabat, loculo illius impoſuit. Populus itaque animi illius ignarus, gaudebat. Cum enim eos iu ſe, & matrem multa dicteria jeciſſe cognoviſſet: publico edicto pubem omnem in planicie quadam convenire juſſit, ſe Alexandri honorem phalanges inſtituturum profeſſus. Quæ cùm bona ſpe plena præſtò eſſet, ordine aſtantes contemplatus: ipſe quidem abiit, ſed immiſſis militibus omnes trucidavit: tanta cæde edita, ut Nilus univerſus rubeſceret. *Suidas.*

Narses magis rebus contra Gothos in Italia, Juſtiniano imperante, geſtis, ingens ſibi toto orbe terrarum nomen pepererat: poſtremò ex ſplendore orta invidia. Ingentem vim auri congeſſerat, non ſine querela multorum civium Romanorum. Ea fuit materia ejus incuſandi apud Juſtinum Imper. Juſtiniani ſucceſſorem, uxoremque ejus Sophiam Auguſtam, quæ mariti potens nimis æqua erat Narſetis accuſatoribus, affirmantibus, ſi diutina in rerum Italicarum adminiſtratione teneretur fore, ut injuria, avaritiaque Narſetis optimates Romani coacti, nationem aliquam externam evocarent, eamque in locum, ac opes Gothorum ſufficerent. Nec ſatis habuit Auguſta revocare Narſetem, ſed addidit contumeliam, quòd Eunuchus eſſet: ſeminarem eum dictitans, neſcire privatum vivere. Præfuturum igitur gynæceo, penſa nentibus diviſurum. Non latuit Narſetem, quàm probroſum dictum mulieri excidiſſet: nec iram continere potuit, quin pari amaritudine remorderet: Ordiar, inquit, telam, quam ſemel textam quicquid muliebrium Sophiarum eſt, non retexat. Nec factum quàm minæ ſegnius: nec magno ingenio opus fuit. Conſilio ab adverſariis capto, externis armis Italiam expoſuit diripiendam. Fœdere junctus erat Alboino Longobardorum Regi, omnium mortalium ferociſſimo. Hunc ad majora fata ex Pannonia ad occupandam Italiam accerſit. Ipſe Juſtino revocanti non paruit. Neapoli deſedit, cùm veniſſet jam ſucceſſor Longinus, novum imperii nomen in Italiam gerens, Exarchus dictus. *Æmil.lib.1. & Sigon.lib.1.regni. Italiæ.*

Ramirus è monacho Rex Gothorum factus, cum expeditione contra Saracenos ſuſcepta, ſiniſtro brachio ſcutum dextro lanceam adaptaſſet, mox fræna equi apprehendere juberetur: & is, qui poſſum, utraque manu occupata, niſi dentibus hæc retinenda quis porrigat? reſpondiſſe, riſu ſolutis proceribus, ita excanduit, ut Oſcam evocatos XI. proceres, à quibus irriſus fuerat, ſecuri percuſſerit. *Collenutius lib. 1. Neapol.*

Venatum Uladislaus II. Polonorum Princeps, & Petr. Danus Comes Scrinnenſis in remotas ſylvas ierant: ibi totum diem inveſtigandis, & perſequendis feris defatigati, ad veſperum, adocum conſtructa è ceſpite menſa, cum ſe pane, & ferina carne, & aqua fontana utcunque refeciſſent, & humi ſtratis penulis cubituri eſſent, Uladislaus joco Petrum appellans: Mollius, inquit, nunc, Petre, uxor tua cum Abbate ſcrinnenſi cubat, quàm nos. Petrus contrà, ut jocum joco retunderet: Fortaſſe, inquit, & tua cum Dobeſſo. Erat autem Dobeſſus juvenis ex equeſtri ordine, non inelegans, quo familiariùs Chriſtina Uladislai uxor utebatur: ita ut muſſitaretur vulgò, eum cum illa clàm conſueviſſe. Tetigit id dictum principis animum: & domum reverſus, uxori blandienti rem detexit, Chriſtina Petrum è medio tollere ſtudens, eum à filiæ nuptiis abreptum carceris incluſit, oculos effodit, & linguam præcidit. *Crom.lib.6.*

Uratislao II. Boemorum rege Brunnam oppidum oppugnante, Deſiderius in aula præcipuus, qui regem cum Bretislao F. comitabatur, pro conſueta familiaritate: Memineris, inquit, ò Rex, ut caſtra Bretislai ad ripam fluminis conſtituas, ne ei deſit copia natandi, præſertim in tam fervido æſtu. Senſit morſum Bretislaus, indigniſſimèque tulit, pater coram ſibi exprobratum eſſe veterem in Luſatia natatum (ob quem Boemorum exercitum in extremum periculum abduxerat) tacitus tamen dolorem tunc devoravit, poſtquam viderat parentem dicto Deſiderii arridere. Cæterùm ad ſuos reverſus, palàm indignari, malaque multa dicere in caput Deſideriis, atque illo die præ ira cœna abſtinere. Manè ad Conradum patruum (qui in urbe oppugnabatur) ex ſuis fidum quendam occultè mittit, qui injuriam ſibi à Deſiderio illatam deploret, conſiliumque requirat, quid ſit opus facto. Ille ſe eadem flamma ardere, qua aduſtus eſſet Bretislaus, reſpondet, ac niſi illa quamprimùm unà cum flammivomo (quem Deſiderium eſſe dicebat, præſentis belli facem) extingueretur, Uratislaum ab incendio, quo ambo ipſi tandem comburantur, non ceſſaturum. Maturat hinc Bretislaus Deſiderium de medio tollere, conſilio cum tribus tantùm inito: quorum uni mandat, ut ad ſe Deſiderium accerſat, dicantque, ſibi eſſe opus eo convento. Venit ille, Detſimirio ſodali ſuo duntaxat comitatus. Cui cùm Bretislaus dicacitatem exprobraſſet, chirotheca in vultum illius projecta, ſignum dedit percuſſoribus. Qui illum redeuntem ad Detſimirium, multis in via vulneribus confoderunt. Rex factum illud indigniſſimè ferre, cùmque Conradum fratrem tandem in gratiam recepiſset, filio tamen ignoſcere penitùs noluit, illud tantùm dicens: Benè, an male feceris, olim ſenties. Eo verbo offenſus Bretislaus, caſtris cum ſuis diſcedit, factaque majore manu Pragam verſus contendit, patrem ſuperbè laceſſens, ut ad pœnas de filio ſumendas properaret. Cæterùm Conradi interceſſione pax facta, & conceſſus filio reditus, ea lege, ne in patris conſpectum veniret. Bretislaus ergo metuens, ad S. Ladislaum Hungariæ Regem cognatum ſuum exulatum abiit. Intereà Uratislaus vita functus, Conradum fratrem ſucceſſorem reliquit, eique filios quatuor reliquos commendavit. Bretislao penitus præterito. Sed is mortuo Conrado, Hungarorum ope regnum obtinuit. *Dubr.l.9.*

Mathias Corvinus, Hungariæ Rex, tonſori ſuo quem pergratum habebat, locupletaveratque, labra, ac naſum deſecuit, eaque in lance deferri juſſit: quod in regio cubiculo, miniſtris Aragonii Cardinalis legati, uxoris ſuæ fratris, poſteriores veſtium partes per jocum mutilaverat, & ipſe rogatus ejus facti cauſam exprimere, ridens regi faſſus erat. Cui pœnæ eum rex damnavit, ut qui in maleficio ridebat, ſemper exertis dentibus, etiam cùm fleret, ridere videretur. *Fulg.l.6.c.3.*

Reprehensionem Liberam.

☞ *Conſule Titul. Non ferre admonitiones, obtrectationes, reprehenſiones. Illic veritatis odium, hìc ob liberam reprehenſionem orta conſideratur Titul. Admonitio, Correctio.*

Abner ob ſtuprum cum Reſpha Ajæ filia, concubina Saul, ab Isboſeth F. Saul reprehenſus, ad Davidem defecit. 2. *Reg.*

Cambyses Perſarum Rex, Prexaſpen ob reprehenſionem temulentiæ ſuæ liberam punivit. Ira enim percitus, Prexaſpis, filium pocillatorem in medium produci juſſit, & arcum intendens, ſagitta cor ejus transfixit. Converſus inde ad Prexaſpen: Abi, inquit, & Perſis refer, vel temulentum regem munere ſuo probè functum, filiique tui cor medium non fruſtrato ictu transfixiſſe. *Herod.l.3.*

Oroetes Sardium præfectus, cùm à Mitrobare præfecto Daſcyliorum reprehenderetur, quòd Samum inſulam tam propinquam regis ditioni non adjunxiſset (eam namque eodem tempore Polycrates ſubjugarat) primùm quidem Polycrate aſtu captum cruci affixit, deinde mortuo Cambyſe Mitrobarum cum Cranape F. interemit. *Idem.*

Dionysius tyrannus Poetam Philoxenum, quòd ejus tragœdiam emendare juſsus, ab ipſo uſque capite ad calcem totam circumduxiſset, in Latomias condidit. *Plut. orat.2. de Alex. fortuna.*

Hyrcanus III. Judæorum Dux, & Pontifex, cùm aliquando Phariſæos (quorum ſectæ addictiſſimus erat) convivio comiter